D. CHRISTIANI GOTHOFREDI
Sultzbergers
JCTI LIPSIENSIS

TRACTATIO JURIDICA
DE
LENOCINIO CONJUGUM

Occaſione L. Mariti. 29. ff. ad L. Jul. de Adult.

Von Verkuppelung der Eheleute.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FRANCKFURT & LIPSIÆ,
M. DCC. XXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMARIA DISPUTATIONIS
DE
LENOCINIO CONJUGUM.

DIcenda ſiſtit. §. 1. Deſcriptio Lenocinii generalis, & ejus prima ſpecies, mulierum qvæſtuariarum. §. 2. Datur etiam lenocinium non qvæſtuariarum. §. 3. Cujus prima ſpecies, ſi qvis domû præbuerit ad ſtuprum adulteriumve committendum. §. 4. Secunda, qvando qvis ope, conſilio, dolove malo effecerit, ut vir, fœminave in adulterio deprehenſa pecunia aliave qva pactione ſe redimerent. §. 5. Tertia, ſi qvis pretium pro comperto ſtupro acceperit. §. 6. Objectionibus, lenocinia has tres ſpecies eſſe negantibus, §. 7. Reſpondetur. §. 8. Lenocinii diviſio in vulgare & eminens, &, utriusque in lenocinium perſonarum in familia & extra familiam. §. 9. De lenocinio ancillarum & liberorum. §. 10. De lenocinio Conjugum, & in ſpecie de vulgari an detur? §. 11. De eminenti, & qvidem mariti domum ad adulterium uxoris præbentis. §. 12. De ſecunda ſpecie lenocinii mariti eminentis, §. 13. Explicatur

A catur

catur *l. 29. pr. ff. ad L. Jul. de Adult.* §. 14. & 15. De tertia ſpecie lenocinii mariti eminentis. §. 16. De aliis ſpeciebus lenocinii maritalis, & qvidem de eo, qvi qvæſtum fecerit ex adulterio uxoris. ſ. 17. De eo, qvi non ob qvæſtum patitur uxorem delinqvere. ſ. 18. Tacitus leno eſt, qvi damnatam adulterii, vel inter reas jam receptam uxorem ducit. ſ 19. Item, qvi propriam uxorem damnatam, accuſatam vel dimiſſam ſtatim reducat. §. 20. De lenocinio uxoris, & an detur. §. 21. Variæ prohibitiones lenocinii vulgaris de Jure Codicis & Novellarum. §. 22. 23. Qvid hodie obtineat. ſ. 24. De Jure Codicis circa generales lenocinii eminentis ſpecies. ſ. 25. An lenocinium uxoris vulgaris de Jure Codicis detur. ſ. 26. Deprehenſam in adulterio uxorem retinens leno etiam Jure Novellarum aſſeritur, contra Dd. communiter. ſ. 27. Explicatur *l 10. C. h. t.* ſ. 28. Diſtinctè exponitur, qvid Juris novioribus Conſtitutionibus circa eum, qvi adulterii damnatam uxorem duxerit vel reduxerit. ſ. 29. Removetur & novo jure lenocinium uxoris, & maritale definitur. §. 30. Leno non poteſt accuſare. §. 31. De Exceptione lenocinii, an illa repellat maritum ab accuſatione. §. 32. Diſſenſus JCtorum indicatur, quem conciliationes Dd. 1. non tollere, deducitur. §. 33. 34. Per eam poſt *L. 28. C. h. t.* repellitur maritus. §. 35. De Exceptione lenocinii marito accuſationem inſtitutam deferenti opponendâ. §. 36. De Accuſatione lenocinii quædam notantur. §. 37. Lenocinium antiquis gentibus permiſſum. §. 38. Ut & olim apud Romanos tam vulgare. ſ. 39. Quam eminens. §. 40. Poſtea illud à Prætore infamiâ notatum; cujus effectus exponuntur. ſ. 41. Hujus pœna fuit eadem, qvæ adulterii. §. 42. Quomodo aucta utraque fuerit; ubi examinatur *Nov. 14.* qvænam ibi dictetur pœna. §. 43. 44. De pœna ejus, qui domum lenoni locavit. §. 45. De pœnâ & variis effectibus lenocinii dominorum & paren-

& parentum. §. 46. Maritus leno, qvomodo varie punitus, & qvid de lenis uxoribus obtineat. ſ. 47. De conſtitutionis Criminalis Definitione & pœna lenonum. Explicatur ejus *Art. 122.* ubi de maritis & parentibus. §. 48. 49. Et *Art. 123.* qui de cæteris lenonibus agit ſ. 50. De diſpoſitione Juris Saxonici circa lenones. §. 51. Qvæſtus de Jure Sax. non facit ad formam lenocinii, ad pœnam ordinariam tamen omnino reqviritur. §. 25. Et ſi non videatur reqviri, ut præciſe acceptus ſit, in Praxi tamen ita obſervatur. §. 53. Qvid hodie in transactione obtineat. §. 54. Qvinam Jure Saxonico hic veniant vocabulo liberorum. §. 55. Et parentum; ubi diſſentitur à Berlichio ſ. 56. De pœna hoſpitis domum ad ſcortandum præbentis, nec non lenonis vulgaris. 57.

Digitized by Google

§. 1.

DE Lenocinio Conjugum acturus prolixos circa voces tractatus inſtituere neceſſarium haud duco, qvin de re ipſâ potius ero ſollicitus. Ante omnia igitur de Lenocinio ejusqve ſpeciebus diſtinctum formare conceptum, tum qvomodo eædem pro varietate temporum & ipſæ variaverint, tandem qvæ prohibitio ac pœna easdem comitaverit, & qvatenus hodie adhuc freqventetur, inqvirere allaborabo.

§. 2. Per Lenocinium autem in genere intelligi puto actum, qvo qvis proſtitutionem alienæ pudicitiæ adjuvat. Ad omne enim lenocinium actum poſitivum, & qvidem adjuvationem qvandam alienæ proſtitutionis reqviri ex ſpeciebus omnium optime pateſcet, qvas ductu veterum JCtorum exponam, poſteaqve videbo, an convenienti diviſioni eas includere, indeqve Lenocinii, de qvo titulus conceptus eſt, definitionem extruere poſſim. Initio ſe ſiſtit deſcriptio *Ulpiani in l. 43. §. 6. ſeqq. de Ritu Nupt. Lenocinium facere, non minus eſt, qvam corpore quæſtum exercere. §. 7. Lenas autem eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. §. 8. Lenam accipiemus & eam, quæ alterius nomine hoc vitæ genus exercet. §. 9. Si qua cauponam exercens in ea corpora quæſtuaria habeat (ut multæ adſolent ſub prætextu inſtrumenti cauponii proſtitutas mulieres habere) dicendum hanc quoque lenæ appellatione contineri.* Ex qvibus forte elicere poſſes, lenocinium ibi dici, qvando qvis adjuvat proſtitutionem mulierum qvæſtuariarum *d. l.* 43. §. 7. & qvidem qvæſtus gratia. §. 8. Adjuvatio autem illa fiat vel principaliter & immediate, vel acceſſorie & mediate, per occaſionem alterius negotiationis, ſive nomine alterius, ut §. 8. *d. l.* loquitur, e. g. cauponæ. §. 9.

Quod

Digitized by Google

Qvod egregie explicat idem Ulpianus *in l. 4. §. 2. ff. de his, qui not. inf. Lenocinium facit, qvi queſtuaria mancipia habuerit. ſed & qui in liberis hunc qvaſtum exercet, in eadem cauſa eſt. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, ſive alterius negotiationis acceſſione utatur, ut puta ſi caupo fuit vel ſtabularius, & mancipia talia habuit miniſtrantia, & occaſione miniſterii qvaſtum facientia, ſive balneator fuerit, velut inqvibusdam provinciis fit, in balneis ad cuſtodienda veſtimenta conducta habent mancipia hoc genus obſervantia in officina, lenocinii pœna tenebitur.* Dicis: Obſcurum autem eſt, qvidnam ſint mulieres qvæſtuariæ. Exponit id ipſe Ulpianus qvoqve in *d. l. 43. pr. & §§. ſeqq. de R. N. Palam qvaſtum facere dicemus non tantum eam, qua in lupanario ſe proſtituit: verum etiam, ſiqva (ut ad ſolet) in taberna cauponia, vel qva alia pudori ſuo non parcit. §. 2. Palam autem ſic accipimus paſſim, hoc eſt, ſine delectu, non ſiqva adulteris vel ſtupratoribus ſe committit, ſed qua vicem proſtituta ſuſtinet 2. Item qvod cum uno vel altero pecunia accepta commiſcuit, non videtur palam corpore qvaſtum facere. §. 3. Octavenus tamen rectiſſime ait, etiam eam, qua ſine quaſtu palam ſe proſtituerit, debuiſſe his connumerari.*

§. 3. An igitur lenocinium eſt, ſi qvis proſtitutionem illarum tantum mulierum, qvæ palam qvæſtum faciunt, non etiam, qvando aliarum honeſtarum perſonarum adjuvat? Et qvid eſt, qvod dicitur, lenocinium facere non minus eſſe, qvam corpore qvæſtum exercere? An hic non qvælibet fœmina intelligitur? Quid igitur dicemus? Tentabimus, an res ita procedat: Urbs Roma omnibus ſemper deliciis atqve vitiis fuit referta, inter alia autem ob calidum incolarum temperamentum ſtupra atqve adulteria admodum erant freqventia. Ut itaqve obicem aliqvem iis ponerent, non qvidem leges effrenatæ iſti libidini coercendæ ſuffecturas deprehendebant, ſed alia medendo iſti morbo media adhibenda erant; hinc perſonas qvasdam eximebant, in qvas impune ſtuprum committeretur, certasqve ædes & lupanaria, in qvibus ejusmodi ſcorta ad

Digitized by Google

explendam libidinem alerentur, conſtituebant; qvæ perſonæ tamen ſemper inter viliores ſunt habitæ, cum ipſam profesſionem turpitudo qvædam comitabatur. Qvare & eos, qvi proſtibula ejusmodi habebant, ut non tantum qvæſtus exinde ad eos redeat, ſed & loca, in qvibus negotiationem aliqvam exercebant, freqventius viſerentur, Prætor Edicto ſuo infamia notavit, ut infra plenius audiemus. Et hi proprie olim lenones dicebantur.

§. 4. Creſcentibus mox tempore vitiis libido Romanorum iſtis proſtibulis non erat contenta, ſed honeſtarum qvoqve mulierum ſtupra atqve adulteria ſubinde appetebat; nec deerant homines neqvisſimi, qvi variis artibus ſtupra ejusmodi conciliabant & adjuvabant. Qvapropter & iis cancellos ponere, certosqve ac peculiares qvosdam adjuvationis actus notare legislatores judicarunt, inter qvos præcipue eminet ille, qvando domus ab aliqvo prebetur, ut ſtuprum adulteriumqve in ea committeretur. Qua de re Papinianus in *l. 8. ff. ad L. Jul. de Adult.* ita diſſerit: *Qvi domum ſuam, ut ſtuprum adulteriumve cum aliena matrefamilias, vel cum maſculo fieret, ſciens præbuerit, vel qvæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit, cujuscunq; ſit conditionis, qvaſi adulter punitur.* Ubi obiter ex legibus noto per verbum *qui* utrumqve hic intelligi ſexum, eodem Papiniano, mulieres qvoqve hoc capite legis, qvod domum præbuerunt, teneri aſſerente. *l. 10. § 1. d. t.* Item, qvod hic appellatione domus, habitatio qvoqve ſignificetur. *d. l. 8. §. 1.* ſicut & alibi ita accipi teſtatur *Briſſon. libr. ſing. ad L. Jul. de Adult. p. 48. & 108.* Imo tam laxum hic domus ſignificatum fecerunt, ut non tantum ad amici domum, ut Ulpianus *l. 9. ff. ad L. Jul de Adult.* ait; *Et ſi amici qvis domum præbuiſſet* (ſcilicet ad ſtuprum adulteriumve committendum) *tenetur*; ſed & ad agrum balneumqve, qvæ tamen ſub ejus appellatione alias non comprehenduntur, extenderint, ut idem *d. l. §. 1.* teſtis eſt: *Sed & ſi quis in agro balneove ſtuprum fieri præbuiſſet, comprehendi debet.* (Ubi ſtatim nota diffe-

differentiam hujus à lenocinio mancipiorum in balneis proſtitui ſolitorum ſupra §. 2. relato; nam in ejusmodi mulieres ingenuas licet, palam tamen qvæſtum corpore facientes, ſtuprum haud committebatur, ut probat *Briſſon. d. l. p. 24. ſeqq.* Et ita Ulpianus hic de proſtitutione honeſte viventium loqvitur.) Porro Papinianus *d. l.* 10. per matrem familjas indigitat non tantum nuptam, ſed & viduam qvoqve. Num vero verbis: *Ut ſtuprum adulteriumve committeretur*, ipſe actus, an ſaltem conatus vel collocutio aliqva de iis committendis indicetur, declarat Ulpianus *in d. l. 9. §. 2. Sed & ſi in domum aliqvam ſoliti fuerint convenire ad tractandum de adulterio, & ſi eo loco nihil fuerit admiſſum, veruntamen videtur is domum ſuam, ut ſtuprum adulteriumve committeretur, præbuiſſe; quia ſine colloquio illo adulterium non committeretur.* Et hæc interpretatio æqvitati qvoqve maximè convenire videtur, qvod tales mediatores alicujus delicti ejusdem qvoqve delicti fiant rei; hinc & receptatores pari cum delinqventibus pœnâ afficiuntur. *l. 1. ff. de Receptator.*

§ 5. Qvare non mirandum, JCtos in hanc claſſem qvoqve retuliſſe *eum, cujus ope, conſilio, dolo malo factum eſt, ut vir fœminave in adulterio deprehenſa pecunia aliave qua pactione ſe redimerent*, qvod fecit Scævola in *l. 14. ff. ad L. Jul. de Adult.* ubi addit, *eadem pœna* illum *damnari*, *quæ conſtituta eſt in eos, qui lenocinii crimine damnantur*. Vides hic adjuvationem qvandam, & qvidem opem, conſilium, dolum malum JCtus expreſſe nominat. Aſt, inqvies, *adjuvationem* proſtitutionis alienæ pudicitiæ ſupra reqviſiviſti, hic autem proſtitutio jam facta eſt, adeoqve ille, qvi facit, ut deprehenſa in adulterio redimatur, non adjuvat illam proſtitutionem. Enimvero conſideres & illum, cujus ope atqve conſilio furtum factum eſt, furti teneri. §. 11. *J. de Obl. quæ ex del. naſc.* Qvid? qvod & ille, qvi celat furem remqve furtivam, in eadem cum ipſo conditione eſt; nihil magis enim ad delinqvendum, qvam ejusmodi celatores invitant, ſine qvibus ſi interdum eſſet, multa forte delicta inadmiſſa mane-

manerent. Ita ſane majori cum timore qvidem ad adulteria committenda accederent, niſi jam illos noverint, qvorum ope, conſilio dolove malo, licet in ipſo adulterio deprehenſi, redimi queant. An autem conſilium cum ope, doluſque malus conjunctim an ſeparatim reqvirantur, non incongrue qværi poteſt? Et tametſi unum absqve altero vix poni poſſe videatur, attamen opem quidem & conſilium (qvalificatum ſcil.) ſeparatim hic ſufficere argumento à furto petito ex *l. 53. ſf. ult. de V. S. l. 52. in pr. & §. 19. l. 50. ſf. pen. de Furt. l. 6. de Cond. furt. d. §. 11. ſf. d. 1.* utrumqve autem dolum malum (tanqvam reqviſitum omnium verorum delictorum) ſemper præſupponere *arg. d. l. 50. ſf. 2. ff. de Furt.* aſſerimus, Et huic aſſertioni ſubſcribere videtur Macer, dum *in l. 32. §. 1. h. t.* ſimul cum adultero vel adultera eum qvoqve accuſare permittit, qvi domum ſuam præbuerit, *vel conſilio fuit, ut crimen redimeretur;* unde colligere licet, conſilium ſine ope hic ſufficere.

ſf. 6. Illud in dubium vocari poſſit: Num cum hac ſpecie coincidat illa, qvando qvis pecuniam acceperit, ne deprehenſos in adulterio ſtuprove prodat? Sic Paulus *l. 8. ff. Quod met. cauſ. Iſti quidem & in Legem Juliam incidunt, quod pro comperto ſtupro acceperunt.* Cui adſtipulatur Ulpianus in *l. 29. §. 2. ad L. Jul. de adult. Plectitur & qvi pretium pro comperto ſtupro acceperit. Nec intereſt, utrum maritus ſit, an alius quilibet. Quicunque enim ob conſcientiam ſtupri accipit aliquid, pœna erit plectendus. Caterum ſi gratis quis remiſit, ad legem non pertinet.* Et affirmandum qvidem ex eo videtur, qvod & illius, qvi pro comperto ſtupro) ne prodat ſcilicet) pretium vel pecuniam acceperit, ope ac dolo malo fiat, ut crimen redimeretur. Nihilominus tamen negativam veriorem eſſe putamus propterea, qvod ille caſus de deprehenſis in adulterio loqvatur, ut ſenſus ſit, eum puniendum eſſe, cujus ope, &c. factum, ut ſe redimerent, non ab eo, ſed à marito deprehendente, ne vel adulteros occidat, vel ut dimittat adulterum adulteramqve retineat, adeoque lex ejusmo-

di

di proxenetas, qui adulterantes cum maritis reconciliabant, coërcere voluit; neqve adeo diſtingvit, an pretio accepto illud fecerint, an gratis; hic autem caſus in genere de eo loquitur, qui pro comperto ſtupro quid accepit, ſive in ipſo actu deprehendat, ſive longe poſt comperiatur, modo eum in finem datum ſit, ne prodat, ſcilicet *ne ipſe* accuſet, vel ulterius dilatet; & quidem *pretium* ſemper datum requiritur; *nam ſi gratis quis remiſit*, dicit Ulpianus, *ad legem non pertinet.* Deprehendimus itaque hic rurſus actum quendam, quo proſtitutio alienæ pudicitiæ adjuvatur; licet hoc loco eadem, quæ de præcedenti ſpecie dicenda ſint, nempe per conſequentiam quandam illud fieri, Conf. Dn. Chriſt. Thomaſ. Inſt. Juriſpr. Div. *Lib. 1. Cap. 1. §. 66. ſq.*

§. 7. Jam igitur, quò referemus ſpecies hactenus recenſitas, & an plane ad lenocinium pertinent? Sane Ulpianus in *l. 29. §. 6. h. t.* lenocinium & crimen, qvando qvis domum ſuam ſtupri causâ præbuerit, expreſſe ſecernit: *Hoc quinquennium obſervari legislator voluit, ſi reo vel reæ ſtuprum, adulterium vel lenocinium objiciatur; quid ergo ſi aliud crimen objiciatur, quod ex L. Julia deſcendit? ut ſunt, qui domum ſuam ſtupri cauſa præbuerunt, & alii ſimiles &c.* Altera ſpecies ideo à lenocinio diverſa eſſe videtur, quod *l. 14. h. t.* quam pro ſtabilienda ea, §. 5. adduxi, *eadem pœna damnari eos* dicat, *quæ conſtituta eſt in eos, qui lenocinii crimine damnantur.* Si itaque lenocinium eſſet, lex non dixiſſet *eadem*, ſed *ipſa* lenocinii pœna damnari, quia lenones ſunt. Deniqve qvod tertiam attinet ſpeciem, eam impugnat, qnod pro adulterio Lex Julia punit, ſi quis pretium pro comperto ſtupro acceperit, quam in rem produci poteſt Tryphonius, qui *l. 37. §. 1. ff. de Min. 25. ann.* ita loquitur: *Nec ſi quid eorum commiſerit, quæ pro adulterio eadem lex punit, veluti ſi adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, aut in adulterio deprehenſam uxorem non dimiſerit, quæſtumve de adulterio uxoris ſuæ fecerit, pretiumvé pro comperto ſtupro*

acceperit, *aut domum præbuerit*, *ad ſtuprum adulteriumve in eam committendum, &c.* Cui aſſentitur *l. 10. in fin. C. ad L. Jul. de Adult.* nec non *l. 8. ff. eod.* Qvibus argumentis illud inſuper accedit, qvod nuſpiam aliqua ex his ſpeciebus lenocinii nomine veniat?

§. 8. Qvid igitur hic erit conſilii? Num hactenus incaſſum laboravi? Salva adhuc res eſt. Non enim nos movent, qvæ primo loco de oppoſitione lenocinii & criminis, qvando qvis domum præbuerit, afferuntur. Qvid ſi dicamus, *lenocinii vocabulum* ibi abſolute poſitum, ſtare pro ſignificatu famoſiori, qvi ſine dubio lenocinium mariti eſt, de qvo plura fragmenta, qvam de aliis ſpeciebus habemus. Et ſi nihil aliud haberemus, opponeremus ſaltem diſſentientibus auctoritatem Pauli, qvi *l. 3. §. 3. de Accuſat. & Inſcr.* ita habet: *Sed & ſi aliud crimen objiciat, veluti: quod domum ſuam præbuit, ut ſtuprum mater familias pateretur, quod adulterum deprehenſum dimiſerit, qvod pretium pro comperto ſtupro acceperit, &c.* Idem facit Papinianus in ſupra all. *l. 8. h. t.* ubi: *Qvi domum ſuam præbuerit*, *vel quæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit, &c.* Jam vero nemo forte negabit, eos qvi adulterum deprehenſum dimiſerint, vel qvæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerint, lenones eſſe, *obl. 29. pr. & §. 3. ff. h. t.* Aut itaqve nobis concedent, eas ſpecies ad lenocinium ſpectare, cum conjungantur cum aliis ſpeciebus, aut tamdiu eos prememus, donec rationem diſparitatis oſtenderint. Ut jam taceam JCtos, qvos hac in parte habeo præeuntes, ex qvibus unicum tantum *Briſſonium ad L. Jul. de Adult. p. 108.* allego. Nec officiunt adeo reliqva argumenta contra poſteriores duas ſpecies allata. Qvemadmodum enim prius magis nobis favet, ſi etiam hic, ut paulo ante lenocinium pro famoſiori ſpecie, nempe mariti accipiamus, ut ſenſus ſit, qvia crimen illud æqve grave ſit ac mariti lenocinium, ideo etiam pœna eadem eſſe digniſſimum, ita argumentatio à pœna delicti ad ipſam naturam ejusdem plane infirma eſt. Ut enim infinitas inſtantias

jam

jam prætereamus, ſaltem urgebimus, ipſum lenocinium lege Julia notatum pœna adulterii fuiſſe coërcitum, ut clare elucet ex *l.* 2. §. 3. *ff. h. t.* Jam firmiſſime inferimus: Sicut ille, qui in adulterio daprehenſam uxorem non dimiſerit, quæſtumve de adulterio uxoris ſuæ fecerit, tanquam adulter punitur, & tamen nihilominus leno eſt. *l.* 29. *pr.* & *ſ.* 3. *ff. h. t.* ita non poteſt dici, qvod ille, qvi pretium pro comperto ſtupro acceperit, aut domum præbuerit, non ſit leno, qvia adulterii pœna afficiatur, qvin imo qvia & in *d. l.* 37. *de Minorib.* lenonibus maritis ille immediate jungitur, pro lenone habendus erit. Neqve mireris, ſpecies hactenus recenſitas nullibi in legibus lenocinia appellari, forte enim fragmenta de iis omnia ad nos non pervenerunt, & in ſcriptoribus antiqvis inqvirendum an non in eo ſignificatu deprehenderemus; vel dici poteſt, qvoniam plures ſunt res, qvam vocabula, JCtos freqventioribus ſpeciebus, ſcilicet lenocinio vulgari & maritali vocabulum generis applicaſſe, hæc autem tanqvam minus freqventia aliter circumſcripſiſſe, uti in adoptione qvoqve fecerunt. *vid.* §. 1. *J. de Adopt.*

ſ. 9. His itaqve conjecturis moti, cum & deſcriptioni noſtræ generali ſupra *ſ.* 1. poſitæ convenire videamus tres ſpecies hactenus recenſitas, merito ad lenocinia qvoqve eas referemus. Cum autem ingens differentia illarum, ab initio recenſito perſonarum vulgarium lenocinio appareat, ſolliciti erimus, ut contradiſtinctas ſpecies uni alicui diviſioni includamus. Differunt enim duobus potiſſimum modis, ſcilicet: Ratione perſonarum, in qvas exercentur, & ratione modi, hoc in perſonas vulgares *i. e.* qvi qvæſtum corpore exercebant, & in hunc finem nomen profeſſæ erant, & qvidem qvæſtus gratia, illa autem in perſonas honeſte viventes, & qvidem vel domus conceſſione, vel criminis redemtione, vel pretii pro comperto ſtupro acceptione. Illud doctrinæ gratia *VULGARE* vocabimus, qvia perſonas vulgo ſe proſtituentes pro objecto habet,

dque vulgaris comitatur pœna; hoc *EMINENS*, quia in honeſtis perſonis tantum locum habet, & pœna legis Publicæ, nempe *Juliæ de adult.* coërcetur; quare & hoc pro delicto publico erit habendum, illud non æque. Erit itaque *Lenocinium VULGARE* nihil aliud, quam *adjuvatio proſtitutionis quæſtuariarum mulierum, & quidem quæſtus gratia facta.* per §. 2. *EMINENS* vero eſt *adjuvatio proſtitutionis perſonarum honeſte viventium, & quidem vel domum præbendo,* §. 4. *vel faciendo ut crimen redimatur,* §. 5. *vel pretium pro comperto ſtupro accipiendo.* §. 6. Utrumque autem in certis perſonis locum habere diximus, pro diverſa earum qualitate, quatenus ſcilicet corpore quæſtum faciunt, vel minus; ut adeo utrumque commode iterum dividi poſſit in lenocinium *perſonarum in familia*, ancillarum nempe, liberorum & conjugum, & *perſonarum extra familiam.* Et quidem illud priori loco perluſtrabimus, ubi poſtea de poſteriori facile erit judicium.

§. 10. Lenocinium in ancillas commiſſum quod concernit, de eo occurrit potiſſimum fragmentum ex Ulpiano *in l. 4. §. 2. ff. de his, qui not. inf.* ſupra §. 2. adductum, qvod de ancillis loqvi ſatis indicant verba: qvæſtuaria *mancipia*; hæc enim ſemper ad dominum ſe referunt. conf. §. 3. *d. l.* 4. Ex illo autem tantum colligere poſſumus, lenocinium ancillarum nihil aliud eſſe, qvam adjuvationem proſtitutionis mancipiorum qvæſtuariorum; ſive id fiat principaliter, vel acceſſione alterius, ut latius ſupra *d.* §. 2. expoſuimus. Hoc autem ad vulgare lenocinium referendum eſſe per ſuperius dicta facile conſtat; non immerito tamen qværi poſſet, annon & eminens ancillarum lenocinium detur? Et ſane nulla de illo in Pandectarum

volumine

Digitized by Google

volumine deprehendimus veſtigia, ex ea forte ratione, quod in alienam ancillam ſtuprum non committebatur, *l. 6. ff. h. t.* Dn. Thomaſ. in Not. ad Strauch. Diſſ. XIX. *Th.*51. *p.* 243. lenocinium eminens vero nihil aliud eſt, quam adjuvatio ſtupri. Enimvero Imperatores Theodoſius & Valentinianus ita reſcripſerunt in *l. 12. C. de Epiſcopal. Audient.* *Si lenones patres & domini ſuis filiabus vel ancillis peccandi neceſſitatem impoſuerint liceat filiabus & ancillis, epiſcoporum implorato ſuffragio, omni miſeriarum neceſſitate abſolvi*, quod etiam repetitur in *l. 6. C. de ſpect. & lenonibus, lib. 11.* conf. *l. 1. C. ſi manc. ita venierint, ne proſtit.* Hinc etiam *illud officium Præfecto Urbi á Divo Severo datum eſt, ut mancipia tueatur, ne proſtituantur. l. 1. §. 8. ff. de offic. Præf. Urb.* Unde colligi poſſet præter illud mancipiorum qvæſtuariorum dari & aliud lenocinium, nempe quando dominus ancillis peccandi neceſſitatem imponit, *h. e.* ſi ad proſtitutionem patiendam contra ipſarum voluntatem cogat; qvod ſine dubio non ad vulgare, utpote voluntatem palam ſe proſtituentium præſupponens, ſed eminens lenocinium eſſet referendum, niſi notum ſit, tantam olim fuiſſe poteſtatem dominicam, ut ſine crimine ſervi ad id agi potuiſſent. Eadem fere de lenocinio à patribus in liberos exercito erunt dicenda; per *d. l. 12. C. de Epiſc. Audient.*

§. 11. Pergo ad Lenocinium Conjugum, & initio juxta antea allatam diviſionem diſpiciendum de vulgari, quod & inter Conjuges dari valde probabilem conjecturam ſuppediat Ulpianus in *l. 13. §. 2. h. t.* *Sed & in ea uxore*, inquiens, *poteſt maritus adulterium vindicare; quæ vulgaris fuerit; quamvis ſi vidua eſſet, impune in ea ſtuprum committeretur*; unde quis inferre queat, quod etiam in vulgari uxore qua tali lenocinium exerceri poſſit, quia ut infra dicemus, ſi maritus intermittat accuſationem mulieris adulteræ, pro lenone eſt habendus. Verum non una ſe hic difficultas prodit. Præterquam enim quod JCtus in præterito loquitur: quæ vulgaris *FUERIT*, i. e. quæ

 vulgo

vulgo ſui copiam fecerit, hoc autem vitæ genus deſeruerit & per initium matrimonium ſublatis omnibus præcedentibus vitiis honeſta effecta ſit, vid. *Gothofr. add. l. lit. n.* dici tamen poteſt: licet pro vulgari adhuc habeamus (cujus potius contrarium ex verbis JCti apparet, cum in eam viduam ſtuprum, licet impune, poſſit committi, qvod in vulgari ceſſat) imo vulgarem mulierem pro tali habeamus, qvæ uxor eſſe non poſſit (qvod tamen nec ita generaliter procedit, ſed tantum qvæ corpore qvæſtum fecit, ſenatoris uxor eſſe prohibetur. vid. *Tit. Ulpian.* 13. §. 1.) illud inferri ſaltem exinde, qvod maritus eam non jure mariti, bene tamen extranei jure accuſare qveat. vid. *d. l.* 13. §. 4. conf. *Briſſon. d. Tr. p. 66. usque 69.* Nec tamen aſſererem inde ſtatim, qvod non ſit lenocinium conjugum, nec etiam qvod non ſit eminens, qvia accuſationis (qvæ indicium criminis & pœnæ eminentis) in *d.* §. fit mentio.

§. 12. In medio itaqve eodem relicto progredior ad lenocinium conjugum eminens, qvod vel à marito vel uxore committitur. Et ſupra enumeratas qvidem lenocinii eminentis ſpecies ſaltem ad maritum applicabimus, qvatenus, nempe JCtos & hac in parte habemus præeuntes, ubi ſtatim lenocinium mariti eminens evadet. Primo itaqve maritus leno vocabitur, ſi domum præbuerit, ut ſtuprum adulteriumve in uxorem *SUAM* committeretur, qvo reſpicit Thryphoninus in alleg. *l. 37.* ∬. 1. *de Minoribus.* Cum enim in antecedentibus variis lenocinii maritalis ſpecies retulerat, ſtatim ſubjungit, *aut domum præbuerit, ad ſtuprum adulteriumve IN EAM* (ſcil. uxorem propriam) committendum.

§. 13. Deinde qvod alteram ſpeciem attinet, illa non tam commode ad maritum applicari poſſe videtur, qvia ∬. 5. illum caſum de tertio, qvi ope ſua efficit, ut deprehenſi in adulterio à maritis redimerentur, ne ſcil. eos occidant, explicuimus. Non inconvenienter tamen ex mente JCtorum huc referre poterimus

terimus illum maritorum, qvi deprehenſam uxorem in adulterio retinet, adulterumqve dimittit. Namqve ille omnino facit, ut non tantum uxor adultera (ne retenta tam facile accuſetur) ſed & adulter, eum non occidendo, redimantur. Ita vero de illo lenocinio mariti Ulpianus *in l. 29. pr. h. t.* diſſerit: *Mariti lenocinium lex coërcuit, qvi deprehenſam uxorem in adulterio retinuit, adulterumqve dimiſit. Debuit enim uxori qvoqve iraſci, quæ matrimonium ejus violavit. Tunc autem puniendus eſt maritus, cum excuſare ignorantiam ſuam non poteſt, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis. Idcirco enim lex ita locuta eſt: Adulterum in domo deprehenſum dimiſerit, qvod voluerit in ipſa turpitudine deprehendentem maritum cöercere.* Circa qvem textum plures occurrunt nodi, qvi difficulter ſolvi poſſe videntur. Theſis qvidem Ulpiani clara eſſe apparet: Lex coërcet lenocinium mariti, qvi deprehenſam in adulterio uxorem retinet, adulterumqve dimittit; qvam etiam ex parte poſuit alio loco, nempe *l. 2. §. 2. eod. Lenocinii qvidem crimen lege Julia de adulterio præſcriptum eſt, cum ſit in eum maritum pœna ſtatuta, qvi de adulterio uxoris ſuæ qvid ceperit, item in eum, qvi in adulterio deprehenſam retinuerit.* Verum ratio, qvam ipſi theſi in *d. l. 29.* ſubjicit, in obſcuro maxime latet. Qvo enim particula illa *QVOQVE* ſe refert, & an maritum adultero iratum fuiſſe denotat dum illum dimiſit; atqui lex ipſa illam dimiſſionem punit, utpote adjuvationem potius qvandam adulterii, ſive lenocinium, qvam iracundiam exinde inferens. An igitur forte hic loco: *Adulterumque dimiſit*, legendum: *Adulterumqve occidit.* Conf. Dn. D. Thomaſ. Not. ad Strauch. *Diſſ. XXVI. th. 7. p. 392.* Ita ſane citius rem decideremus, niſi ad correctionem textuum non facile excepto omnibus prius tentatis, confugiendum ſit, & tamen illa admiſſa nondum omnes ſcrupuli remoti eſſe videantur. Reſpuit enim

eam

eam limitatio ſtatim annexa, quod tunc demum puniendus ſit maritus, cum excuſare ignorantiam ſuam non poteſt, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis. Aut enim hæc verba de adultero, aut de adultera erunt intelligenda. Si de illo, impoſſibile eſt, prætendi poſſe ignorantiam vel incredibilitatem, cum requiratur, ut in ipſa turpitudine deprehenſum occiderit; ſi de hac, non liberabit ſe à crimine homicidii, tanquam non adulterum occidiſſe prætendens. Et licet illud demus, graviter præterea obſtant verba in textu ſequentia: Adulterum in domo deprehenſum dimiſerit; tametſi enim & hic ſphalma ſubeſſe & de ADULTERA ea accipienda dicamus, juris analogiæ tamen id minus convenit. Dicit enim Ulpianus, quod lex talem dimittentem (ſcil. uxorem adulteram) coërcere voluerit; initio autem textus, qvod lex lenocinium mariti coërcuerit, qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuit. Jam autem non poteſt lex maritum dimittentem & retinentem eadem ratione punire, quia ſunt contraria. Quin potius neceſſaria adulteræ videtur dimiſſio, tum ob maritum, ſi eam accuſare velit; ream enim adulterii uxorem per L. Jul. quis retinere prohibetur. *l.* 11. *ſ.* 13. *b.t.* tum ratione aliorum adulteram accuſare volentium, ad quod conſtante matrimonio nemo admittitur. *l. 26. ff. eod.*

ſ. 14. Quomodo igitur ex his fluctibus emergemus? Audebimus, an adhuc Ulpianum ſalvis manentibus verbis intelligere queamus; ubi tamen quædam præſupponenda nobis videntur, & quidem (I.) quod marito non quemlibet adulterum occidere Lex Julia permiſerit; ne ſcilicet nimio dolore perturbatus in conſulto ad cædem ſtatim prorumpat. Quos autem occidere impune potuerit recenſet Macer, *in l. 24. ff. h. t.* nempe: *Qui leno fuerit, quive artem ludicram antea fecerit, in ſcenam ſaltandi cantandive cauſa prodierit, judiciove publico damnatus, neque in integrum reſtitutus erit: quive libertus ejus mariti uxoriſve patris, matris, filii, filiæ, utrius eorum fuerit.* conf. *Briſſon ad L. Jul.*

Jul. de Ad. p. 52. ſeqq. Et inſuper reqviritur: Ut domi ſuæ deprehenderit; alibi igitur deprehenſum maritus jure non occidet. *Idem p. 61.* Item ut deprehenderit adulterum in ea, in qva adulterium vindicare jure mariti poteſt. *d. l. 24. in fin. h. t.* Qvid ergo marito faciendum ſi vel (1.) non lenonem & alias perſonas ſupra recenſitas, vel (2.) non domi, vel (3.) non in ea deprehenderit, in qva adulterium jure mariti vindicare poteſt. Præſuppono itaqve (II.) qvod *Capite V. Legis Juliæ ita cautum* fuerit [qvæ verba ſunt Ulpiani *in l. 25. ff. h. t.*) *ut viro adulterum in uxore ſua deprehenſum, qvem aut nolit aut non liceat occidere, retinere horas diurnas nocturnasq; continuas non plus qvam viginti, teſtandæ ejus rei cauſa, ſine fraude ſua jure liceat*; & §. 5. addit: *Qvod adjicitur, teſtandæ ejus rei gratia, ad hoc pertinet, ut teſtes inducat teſtimonio futuros accuſatori, deprehenſum reum in adulterio.*

§. 15. His ita præſuppoſitis, inqvirendum tantum erit, annon caſus qvidam ſit dabilis, ubi maritus adulterum deprehenſum ex iracundia dimittere poſſit, ſive an in dimiſſione ipſa iraſci eidem qveat? qvod nobis hactenus affirmandum videtur. Ulpianus enim ex ſe ipſo optime explicari poterit, ſi dicamus, eum ad caſum *d. l. 25.* reſpexiſſe in all. *l. 29.* Nimirum ſi accidebat, qvod maritus aliqvem in uxore deprehendat, qvem non poterat licite occidere) qvi caſus freqventiores, qvam illi erant, ubi poterat occidere, ob varias circumſtantias, ſupra recenſitas, qvæ raro omnes ſimul concurrebant) vel ſaltem ob metum reſiſtentiæ adulteri, vel ob conſcientiæ ſcrupuloſitatem (qvippe occiſio adulteri inter actiones minus plene licitas referenda, ubi & ab altero mihi poteſt reſiſti, nec etiam in conſcientia ſum ſecurus, pœnam ſaltem hic auferente ſuperiore, vid. Thomaſ. Juriſpr. Div. *L. 1. C. 1. §. 145. ſeqq.*) occidere nolit, ſuæ tamen iracundiæ aliqvatenus conſulens, cum impetu aliqvo vel verberibus inſuper affectum domo ejiciat, atqve ita dimittat; hic ſane leges non coërcent, qvod adulterum non occiderit, qvod maximo dolore ductus eum ita dimiſerit, qvin po-

tius hoc ipſo dum ſe abominatum uxoris adulterium fuiſſe declarat, à lenocinii crimine liberatur; ſed hæc ipſius iracundia nondum ſufficiens à legibus reputatur. *Debuit enim uxori qvoqve iraſci, qvæ matrimonium ejus violavit.* Licet enim adulterum hac ratione dimiſerit; ſi tamen adulteram uxorem adhuc retineat, indicio ſatis eſt, qvod non velit eam accuſare, nec alii accuſandam permittere eodem matrimonio conſtante, adeoqve ſe lenonem ipſe prodit. Qvod ſi declinare voluiſſet, vel ſtatim cum adultero ejicere uxorem, vel adulterum per 20. horas retinere debuiſſet teſtandæ ejus rei gratia. *d. l. 25. pr. & §. 5. h. t.* Sine qvo teſtimonio ſi eſt, difficillime ſane accuſatio & adulteri & adulteræ procedet. Et in eo potiſſimum vitium iſtius dimiſſionis verſatur, qvod ſemel dimiſſus adulter reduci non poſſit, ut idem Ulpianus habet *d. l.* §. 3. adeoqve commodiſſimo probandi adulterium medio ſe privans in lenocinii crimen incidit. Aliud vero dicendum ſi ipſe evaſerit adulter (marito invito) Qværit enim ibidem JCtus §. 4. *Qvid ergo ſi evaſerit? an reductus cuſtodiri viginti horis poſſit? & putem hic magis dicendum, reductum retineri poſſe teſtandæ rei gratia.* Nec intereſt (ut in occiſione) utrum domi an alibi deprehenderit; nam etiamſi non in domo ſua deprehenſum retinere poterit. *d. l.* §. 2. Quomodo vero deprehenſio illa fieri debeat, indicat ipſe qvoqve Ulpianus, dum dicit *in ipſa turpitudine*, qvod in *l. 23. pr. ff. h. t.* ita exponit: *Qvod ait lex, in filia adulterum deprehenderit, non otioſum videtur; voluit enim ita demum hanc poteſtatem patri competere, ſi in ipſa turpitudine filiam de adulterio deprehendat. Labeo qvoqve ita probat, & Pomponius ſcribit, in ipſis rebus Veneris deprehenſum occidi, & hoc eſt, quod Solon & Draco dicunt ἐν ἔργῳ.*

§. 16. Supereſt ut & tertiam ſupra recenſitam lenocinii ſpeciem ad maritum applicemus. Et ipſe quidem Ulpianus ad

ad maritum quoque illud refert in noſtra *l. 29. § 2. ff. h. t.* Dicit enim ibi: *Nec intereſt, utrum maritus ſit, an alius quilibet*; quo reſpicit etiam in jam all. *l. 2. §. 2. ff. eod.* verb. *Qui de adulterio uxoris ſuæ quid ceperit:* & Thryphoninus in *l. 37. §. 1. de Minor. Pretiumve pro comperto ſtupro acceperit.* Erit itaqve tertia ſpecies lenocinii mariti eminentis, ſi proſtitutionem uxoris adjuvet per conſeqventiam, pecuniam pro comperto ipſius ſtupro accipiendo. Per pretii autem acceptionem hic intelligi putamus, ſi aliqvatenus locupletior factus ſit maritus, ſive pecuniam ſumat, ſive ab obligatione liberetur, &c. quod probatur tum ex all. *l.* 29. §. 2. ubi remiſſioni GRATIS factæ opponitur, & ſufficit, ſi aliqvid (qvod in qvavis re procedere poteſt) acceperit, tum ex collatione aliorum textuum *l. 6. §. 3. ff. de his, qui not. inf. l. 2. ff. de Calumniat.* vid. *Matthæi de Criminib. Lib. 48. Tit. 3. n. 41. p. m. 371. Briſſon. d. Tr. p. m.* ubi etiam tractat qvæſtionem: An eadem pœna damnentur, qvi cum adulteris paciſcuntur? Conf. *Thomaſ. Not. ad Strauch. Diſſ. XXVI. th. 7. p. 391. ſeqq.*

§. 17. Hactenus periculum fecimus, ut maritalis lenocinii ſpecies ad claſſes generales referamus; ordo nunc ad uxorem nos progredi poſtularet, niſi unum vel alterum mariti lenocinium nobis remoram injiceret, qvod ſuperioribus addere, JCtis viſum eſt. Initio enim maritus, qvi qvæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit, *i. e.* qvi aliqvid acceperit, ut uxorem pateretur adulterari meretricio qvodam genere, dignus habitus fuit, qvi in lenonum cenſum ab Ulpiano deduceretur: *Qui quæſtum*, inqvit *in all. l. 29. §. 3. ex adulterio uxoris ſuæ fecerit, plectitur; nec enim mediocriter delinqvit, qui lenocinium in uxore exercuit.* Et illum tanqvam adulterum puniri jam ſupra §. 4. à Papiniano *ex l. 8. ff. h. t.* didicimus. Nec obſtat, qvod §. præc. ad tertiam claſſem generalem retulerimus eum, qvi pro comperto uxoris ſtupro pretiū acceperit, i. e. locupletior ex eo factus ſit; jam vero & ille, qvi qvæſtum ex adulterio uxoris ſuæ facit,

locupletior fiat, & ita ejusdem cum priori ſit conditionis. Nam præterqvam qvod ipſe Ulpianus qvæſtum ex adulterio uxoris facientem, ab eo, qvi pro comperto ſtupro aliqvid acceperit, ſ. 2. ſejungat, clare qvoqve ſeqventi §. 4 qvid per qvæſtum ex adulterio uxoris factum intelligi velit, explicat: *Qvæſtum autem*, dicit, *ex adulterio uxoris facere videtur, qvi qvod accepit, ut adulteretur uxor. Sive enim ſæpius ſive ſemel accipit, non eſt eximendus. Qvæſtum enim de adulterio uxoris facere proprie ille exiſtimandus eſt, qvi aliqvid accepit, ut uxorem pateretur adulterari meretricio qvodam genere.* Scilicet ratione flagitii perfecti & perficiendi inſignis differentia ſubeſt. Ibi enim oportet flagitium perfectum ſit, ubi qvis pro comperto eo aliqvid accipit, ne vel injuriam ſibi illatam vindicet, vel læſi Reip. intereſſe rationem habeat. Aſt ſi maritus quæſtum accipiat, de perficiendo adulterio agitur, & mariti conſenſus atqve patientia pecunia ſollicitatur, comparaturqve. Et hic eo magis peccat, qvo major delicti cauſa eſt, dum ad illud perpetrandum venali ſua conniventia adulteros invitat; cum econtra illic adulteri periculum facere debeant, utrum comperto ſtupro maritum dato pretio ſint propitiaturi, an jus ſuum ſeverius ſit executurus. Propterea & Ulpianus *non mediocriter* eum delinquere ait, qvi hac ratione lenocinium in uxore exercuit, & ob turpem qvæſtum ipſius proſtitutionem adjuvit.

ſ. 18. Ceſſante autem illo qvæſtu, & ſi maritus ultronea qvadam lenitate ductus uxorem patiatur delinqvere, qvoniam & dolus ejus, & locupletandi libido hic omnino abeſt, merito legum ſeveritas ulteriorem ipſi afflictionem addere ceſſavit. *Qvod ſi* enim *patiatur*, pergit JCtus *in d. l. 29. §. 4. h. t. uxorem delinqvere, non ob qvæſtum, ſed negligentiam, vel culpam vel qvandam patientiam vel nimiam credulitatem extra legem poſitus videtur.* Ut & *l. 2. ſ. 3. ff. h. t. Cæterum qvi patitur uxorem ſuam delinqvere, matrimoniumq; ſuum contemnit, qviq; contaminationi ſuæ non indignatur, pœna adulterum non infligitur.* Sed hac ratione ipſe

ipſe ſibi Ulpianus qvodammodo contrarius videri poſſet, qvi ſupra §. 13 puniendum eum putavit, qvi uxorem deprehenſam in adulterio retinuit; nam & hic patitur uxorem delinqvere non ob qvæſtum, ſed culpam qvandam atqve negligentiam. Imo neutiqvam; longe qvippe aliud eſt dimiſſo adultero deprehenſam retinere; aliud ad peccata non deprehenſæ connivere; illud qvi facit, in dolo verſatur, cum conſpectus præſentis flagitii magis ad vindictam ſtimulet, adeoqve hanc pretio accepto intermiſiſſe præſumatur; at hoc conſilium qui inire coguntur, eorum ſors magis miſeranda, qvoniam medendo ipſorum malo nullum aliud remedium, qvam patientiam afferre poſſunt. Conf. *Ant. Matth. de Crim. L. 48. t. 3. n. 14. p. 371.* Qvanqvam non diffitendum. hodie pro injuria reputari, ſi qvis duobus digitis in modum cornuum formatis deſignet conniventem ad adulteria uxoris. teſte *Ant. Matth. de Crim. p. 139.* Qvin imo ſimulatam patientiam illius Romani, Cabba dicti, pœnis Legis Juliæ omnino obnoxiam fuiſſe puto, qvi non omnibus, ſed ſoli Mœcenati (ſub ſpe majoris lucri) dormibat. vid. *Plutarch. Sermon. Amator. p. m. 94.*

§. 19. Tandem ſupereſt is, qvi damnatam adulterii uxorem duxit. qvem an lenonibus accenſeam, fere dubius hæreo. Ita enim ſæpius hactenus memoratus Ulpianus *in d. l. 29. §. 1. h. t.* habet: *Qvod ait lex, adulterii damnatam ſi quis duxerit uxorem, ea lege teneri; an & ad ſtuprum referatur, videamus: quod magis eſt. Certe ſi ob aliam cauſam ea lege ſit condemnata, impune uxor ducetur.* Et Thryphoninus *in l. 37. §. 1. in fin. de Minorib. Si adulterii damnatam ſciens quis uxorem duxerit, pro adulterio puniendam eſſe*, putat. At qvid huic cum lenonibus rei intercedit, cum non adjuvet proſtitutionem uxoris ſuæ, qvin à JCtis ipſis pro adultero potius habeatur. Attamen ipſe facile pro adultero ſubſcriberem, modo violatio thori alieni adeſſet, qvæ Jure Civ. eſſentiam adulterii conſtituit. Imo inter lenones maritos primo loco in *all. l. 37.* ponitur; & qvod magis, pro lenocinio expreſſe

preſſe reputavit Imp. Alexander, optimus hac in parte legum antiquarum interpres, qui *in l. 9. C. h. t.* ſequenti modo diſponit: *Caſtitati temporum meorum convenit, lege Julia de pudicitia damnatam. ſi quocunque modo pœnam capitalem evaſerit, ſciens duxerit uxorem vel reduxerit, eadem lege ex cauſa lenocinii puniatur.* Hic inpræſentiarum non diſquiram, num Alexander pœnam adulterii primus capitalem effecerit, an forte interpolationi Triboniani parentheſis illa ſit adſcribenda (quod perquam veroſimiliter ſentit *Briſſon. dict. Tract. p. 40.* cui tamen adverſam tenet *Cujac. L. 20. Obſ. 18.*) nobis hic ſufficit, quod is ex cauſa lenocinii puniatur, qui adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit. Verum adhuc rationem urgebis hujus lenocinii, & quomodo hic propriæ uxoris proſtitutionem procuret; & ſane non adeo eſt in propatulo. Videbimus, an Papinianus lucem aliqvam nobis afferre poſſit, *in l. 11. §. 13. ff. h. t. Ream,* inqviens, *adulterii uxorem duxi; eam damnatam mox repudiavi: Quæro an cauſam diſſidii præſtitiſſe videor? Reſpondit: Cum per legem Juliam hujusmodi uxorem retinere prohibearis, non videri cauſam te diſſidii præſtitiſſe palam eſt: quare ita jus tractabitur, quaſi culpa mulieris facto divortio.* Poſito igitur hoc, quod damnatam adulterii uxorem retinere in matrimonio lex Julia vetet, & vero ſupra §. 13. audiverimus, uxorem adulteram contra præcepta legum retinentem pro lenone haberi, neceſſario ſequetur, eum quoque, qui ſciens & volens adulterii damnatam uxorem in perpetuam vitæ conſvetudinem in fraudem legis adſciſcit, lenocinii ſe reum facere. Leges enim omnes omnino occaſiones præſcindere voluerunt, qvibus vel adjuvari vel celari adulteria ullo modo potuerunt. Sed quid de illo ſtatuendum erit, qui adulteram quidem, ſed nondum accuſatam nec damnatam ducit uxorem? Nam ſi adultera in matrimonio retineri Lege Julia vetatur, nec ducere eandem licebit. Verum notanter JCtus in *d. l. 11. §. 13.* præmiſit caſum, & de rea adulterii

uxore

uxore ducta formavit ſtatum cauſæ : Quis cauſam diſſidii præſtitiſſe videatur, ſi damnata adulterii repudietur à marito? & culpa mulieris factum eſſe divortium, reſpondit. Qvomodo autem divortium fieri poterit, nullo præcedente matrimonio; qvo nomine, ſi contra præcepta legum initum eſſet, haud dignum foret per §. 12. *Inſt. de Nupt.* Quod ipſum confirmat Papinianus in præc. §. 11. *d. l.* 11. *Licet ei mulier, qui in ſuſpicionem adulterii incidit, nupſiſſe dicatur, non ante accuſari poterit, quam adulter fuerit convictus: alioquin ad hoc vel maxime viri confugerent, volentes bene concordatum ſequens matrimonium dirimere, ut dicant cum adultero mulierem nuptias contraxiſſe.* Et Paulus *in l.* 40. *ff. h. t.* ad *Quæſtionem: An ea, qvam maritus adulterii crimine ſe accuſaturum minatus eſt, nic qvicqvam egit vel jure mariti vel jure publico, nubere poſſit ei, quem in ea reum adulterii deſtinavit? reſpondit, nihil impedire, quo minus ei, quem ſuſpectum maritus habuit, ea de qua quæritur, nubere poſſit.* Si igitur hic ſuſpectam cum ſe adulterii uxorem licite ducere poteſt, nec leno hoc ipſo efficitur, nulla ratio impediet, quin & extraneus plane & innocens adulteram licite ducat. Neque adeo obſtabit, accuſationem adulteræ hoc modo impediri; poſt convictum enim adulterum omnino locum inveniet. Circa ream adulterii autem, qvam tertius uxorem duxit, nobis diſtingvendum videtur; Vel enim libelli accuſationis tantum oblati ſunt, vel inter reas jamjam recepta mulier eſt. Illic licite ducitur *d. l.* 11. *§.* 11. (de qua & §. 13. accipiendus, verb. ream adulterii uxorem duxi) *h. t. l.* 40. *ff. eod.* quia nim. non eſt rea dicenda. *l.* 5. *ad S'tum Turp.* Hic neutiquam, ob reſponſum Modeſtini in *l.* 36. *ff. de Rit. Nupt. Reas adulterii factas nec ante damnationem vivente marito uxores duci poſſe.* Rationem diverſitatis videbimus §. *ſeqq.* Contrahimus itaque hactenus dicta in ſequentem poſitionem: Ille maritus & tacitus leno eſt, qui ſciens damnatam adulterii vel inter reas jam receptam ducit uxorem; quippe in matrimonio haberi

vetitam

vetitam retinet, accuſationemqve adulterii impedit, & conſequenter proſtitutionem uxoris adjuvat.

§. 20. Multo magis vero lenonem ſe ille prodit maritus, qvi eandem uxorem adulteram reduxit. Sive enim deprehenſam atqve dimiſſam ſtatim, ſive jamjam delatam, ſed accuſatione nondum ad finem perducta, ſive damnatam adulterii reducat, utrobiqve in legem committit. Poſterius enim eſt contra *all. l. 9. C. h. t. qva ſi ſciens quis uxorem adulterii damnatam duxerit vel REDUXERIT ex cauſa LENOCINII tenetur*. Licet enim maritus injuriam ſibi perfidia uxoris illatam remittere velit, noluit tamen Imperator hac ratione uxorem pœnæ ſubduci; qvin potius maritum ideo lenocinii reum effici conſtituit; qvod tamen Jure Novellarum qvidam mutatum eſſe volunt. Cont. *Brunnem. add. l. 9.* (*Diſſ. Farin. Q. 144. n. 86.*) de qvo infra. „Hinc recte Domitianus Eqvitem Romanum ob redu„ctam in matrimonium uxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen „intenderat, judicum albo eraſit. *Svet. in ejus Vita Cap.* 8. Illud ipſum autem de Jure Digeſtorum obtinuiſſe non dubitamus, ſicut ex argumento deſumto ab illo, qvi ſuam uxorem accuſatam, ſed nondum damnatam iterum reduxit, concludere licet. De qvo Paulus in *l. 40. ff. h. t.* *Item qværitur: An idem maritus deſtitiſſe videatur, vel lenocinium commiſiſſe, qvi eandem reduxit uxorem? Paulus reſpondit, eum qvi poſt crimen adulterii intentatum eandem uxorem reduxit, deſtitiſſe videri.* Vides hic Paulum affirmare, eum qvi adulterii accuſatam uxorem reducat, deſtitiſſe videri, adeoque & lenocinium commiſiſſe, quæ hic ipſi unum idemqve ſunt. Qvod ſi vero qvæſtio de damnata ei propoſita fuiſſet, haud dubie pro lenocinio etiam reſpondiſſet; nam utrobique eadem ſubeſt ratio, utrobiqve legitimæ pœnæ adultera ſubtrahitur, & conſeqventer ipſius proſtitutio adjuvatur. Reducente enim marito adulteram jam accuſatam, atqve hoc modo ab accuſatione ejusdem deſiſtente, non ſolum illi poſtea accuſandi jus non ſupereſt, teſtante Paulo *in fin. d. l. 40.* conf.

l. 2.

l. 2. §. 1. *ff. l.* 16. *in fin. C. h. t. l.* 2. *ff. ad SCtum Turp.* qvoniam abolevisſe prioris matrimonii delicta videtur reducendo eam. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.* vid. *Briſſon. d. Tract. p.* 81. ſed aliorum qvoque accuſationi ſubducit. In honorem namqve matrimonii introductum eſſe videtur, conſtante eodem non poſſe accuſari mulierem, niſi prius lenocinii maritus accuſetur. Qvod confirmat Ulpianus in *l.* 26. *ff. h. t.* his verbis: *Conſtante matrimonio ab eo, qvi extra maritum ad accuſationem admittitur, accuſari mulier adulterii non poteſt: probatam enim à marito uxorem, & quieſcens matrimonium non debet alius turbare atqve inqvietare, niſi prius lenocinii maritum accuſaverit.* Et licet pergat, *derelictam à marito accuſationem etiam ab alio excitari utile eſſe*; commode tamen illa verba de eo, qvi deſtitit qvidem ab accuſatione, ſed non reduxit adulteram, intelligi poterunt. Deſtitiſſe autem proprie ille exiſtimandus eſt, qvi absqve *ABOLITIONE* criminis accuſationem ſemel *COEPTAM* intermittit. Si enim crimen ſemel abolitum eſt, omnia in priſtinum ſtatum reducta eſſe videntur. Qvo Papinianus in *l.* 34. §. 1. *ff. de R. N.* abludit: *Ream adulterii, quam vir jure mariti poſtulavit, non prohibetur poſt abolitionem uxorem denuo ducere.* Qvamvis enim hic poſt crimen adulterii vere cœptum & intentatum ducat, attamen cum abolitione cauſa criminis extingvatur, nomenque rei eximatur, adeo, ut perinde ſit, ac ſi de adulterio mulier delata non eſſet, neutiqvam lenocinii crimini ſubjacebit, imo juſtum potius contrahet matrimonium. vid. *l.* 12. *ff. ad SCtum Turp. Briſſon. p.* 118. Deinde qvoq; Pauli ſententia temperamentum capit, cum accuſatio nondum cœpta, ſed libello Principi dato adulterium ſe objecturum tantum minatus eſt, & poſtea non objecerit, lenocinii crimine non tenebitur. *arg. l.* 5. *ff. ad SCtum Turp.* Qvam in rem Impp. Valerianus & Gallienus *in l.* 17. *C. h. t.* ſeqventi modo reſcripſerunt: *Sine metu legis Julia de adulteriis coërcendis revocare uxorem in matrimonium potes, cum nihil amplius, quam libellos accuſa-*

tionis obtuliſti; quia poſtea comperiſſe te affirmas, quod vana indignatione ad accuſationem incitatus fueris. Is enim committit in pœnam, quam lex certo capite denuntiat, qui vel publice adulterii damnatam habet, vel adulteram ſciens, ut ignorantiam ſimulare non poſſit, retinet uxorem. Unde & rationem conſtare puto *L. 2. C. h. t. qua, qui ſuſpectam adulteram habet, lenocinium non contrahit; & mariti arbitrio relictum eſt, an ex ſuſpicione ream conjugem facere velit, an vero penes ſe retinere. l. 30. pr. C. eod.* Verum inqvies, ſi tantum leno eſt, qvi damnatam vel accuſatam adulteri uxorem reducit, ille ab omni reatu liber erit, qvi deprehenſam in adulterio atqve dimiſſam ſtatim reduxerit. Ita forte ex præcedentibus concludere poſſes, niſi contrarium nos docet Marcianus in *l. 33. §. h. t. Si qvis adulterum non dimiſerit, ſed retinuerit, forſan filium in noverca, vel etiam libertum vel ſervum in uxorem: ex ſententia legis tenetur, qvamvis verbis non continetur. Quæ autem retinetur, punitur. Sed ſi dimiſſam reduxerit, verbis non tenetur, ſed tamen dicendum eſt, ut teneatur, ne fraus fiat.* Facile ſcilicet fraus fieri poterat. *l. 29. pr. ff. h. t.* (vid ſupr. §. 13.) cum lenocinii maculam effugere volens maritus ſtatim qvidem dimittere, ſed in continenti reducere iterum, atqve ita ſententiam legis ſalvis ejusdem verbis circumvenire poſſet. *l. 29. ff. de LL.* Qvamobrem JCti per interpretationem extenſivam hunc comprehenderunt qvoqve ſub lenonibus; cujus ratio tamen diverſa eſt ab eo, qvi ſuſpectam adulterii habet; illa enim jam qvaſi convicta, dum deprehenſa eſt, ſuſpecta vero in concordanti matrimonio toleranda eſt, donec evidentiora ſe prodant indicia.

§. 21. Cum autem frontiſpicium Diſſertationis noſtræ Conjugum lenocinium ſiſtat, uxor vero etiam ſub illorum nomine comprehendatur; ad ſalvandum titulum & de uxoris lenocinio qvædam annectere nobis incumbet. Verum tantam in JCtorum fragmentis penuriam atqve vaſtitatem hac in parte deprehendimus, ut fere neſciamus, an uxorem plane a lenocinii crimine abſolvere voluerint. Sed qvænam cauſa hujus præ-

marito

marito uxoris prærogativæ? Id paulo altius repetendum eſt: Initio enim generale omnis lenocinii fundamentum, adjuvatio nempe proſtitutionis alienæ pudicitiæ hic omnino ceſſat, partim qvod proſtitutionis verbum ad viros haud quadret, partim qvod pudicitia non tam de viris qvam mulieribus dicta fuerit, Hinc major ſemper licentia maribus qvam fœminis data eſt, qvas natura qvaſi ad pudorem formavit, & referente Gellio *L. 10. C. 23.* marito uxorem in adulterio deprehenſam necare olim LL. XII. Tabb. permiſſum eſt (qvod tamen poſtea per L. Juliam correctum putant, *l. 22. §. ult. h. t.*) cum huic maritum adulterantem ne digito quidem contingere licuerit. vid. *Briſſon. d. l. p. 60. ſq. Ant. Matth. p. 355. n. 1.* Accedit, qvod Jure Civ. adulterium maritus plane non commiſerit, cum juxta illud ſit thori alieni violatio; nxor autem thorum non habeat, ſed ſolus maritus, adeoqve nec violari poterit. conf. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Qvapropter etiam ob violatum matrimonium adulterii agere mulieribus plane interdictum eſt, tametſi in cæteris cauſis ſuam ſuorumqve injuriam publico perſeqvi judicio qveant. *l. 1. & 2. ff. de Accuſ.* Qvam in rem Impp. Severus & Antoninus in *l. 1. C. h. t.* ita reſcripſerunt: *Publico judicio non habere mulieres accuſationem, qvamvis de matrimonio ſuo violato qveri velint, lex Julia declarat, qva cum maſculis jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem fœminis privilegium detulit.* Qvomodo itaq; qvæſo, uxori adulterium mariti adjuvare, atqve lenocinium committere poſſibile fuit, ſi maritus adulterium olim non commiſit, & qva ratione jam inſcriptionem diſſertationis tuebimur? Aſt bono adhuc animo nos eſſe jubet JCtorum par, Papinianus & Marcianus, qvorum ille generaliter de mulierum lenocinio *in l. 10. § 1. ff. h. t.* qvædam affert: *Mulieres qvoq; hoc capite legis qvod domum præbuerunt, vel pro comperto ſtupro aliqvid acceperunt, tenentur;* hic vero per ſomnium qvaſi, uxoris qva talis lenocinii tribus verbis meminit *in l. 33. §. 2. eod. Si uxor ex adulterio viri pretium acceperit, Lege Julia qvaſi adultera*

tenetur.

tenetur. Et prioris qvidem aſſerto ſponte veritas conſtat, ſi ea qvæ ſuperius ſ. 4. & 6. de lenocinio eminenti in genere attulimus, conferamus. Sicut & poſterius haud difficulter ad lenocinium trahere poſſumus, qvamvis hic eam Lege Jul. QVASI ADULTERAM teneri dicatur; qvia §. 7. & 8. naturam lenocinii nullatenus immutari adſtruximus, licet delictum adulterii pœna vindicetur, cum à pœna ad naturam delicti infirmiter inferatur, & eandem lenocinii, qvæ adulterii, pœnam fuiſſe infra audituri ſimus, modo cætera æqve ſalva ſe haberent. Nam qva ratione ex adulterio viri pretium accipere uxor poterit, cum nulli pœnæ illud fuerit obnoxium; per pretium autem datum delinqvens ab accuſatione & pœna ſemper ſe liberare intendit. Et illud adhuc tolerandum fuiſſet, ſi de pretio ex STUPRO VIRI accepto JCto ſermo eſſet, qvippe ſtuprum mariti ſive violentum ſive non, in puerum, viduam vel virginem honeſtam etiam durante matrimonio commiſſum, ſeveris omnino pœnis coërcitum fuiſſe. *d. l. 6. §. 1. h. t. l. 3. §. 4. l. 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ.* adeoqve uxorem graviter deliqviſſe certum eſt, ſi pro comperto illo aliqvid acceperit cum in finem, ne alii manifeſtaret, qvi accuſare eapropter virum qveat. Jam vero cum de adulterio loqvatur, nullam plane connexionem divinare poſſumus. Sed an poſſibile eſt, JCtum penitus ſui oblivionem cepiſſe, ac qvippiam cum principiis Jurisprudentiæ minus cohærens aſſeruiſſe? Eo certe, tam diu alia via ſupereſt, non facile deveniendum. Videbimus igitur, annon ipſius mentem omnem movendo lapidem indagare qveamus. Illud eqvidem veriſſimum, maritum reſpectu uxoris adulterium non committere, multo minus hanc pretium de illo participare poſſe; At, qvid ſi abſtrahamus, pauliſper à reſpectu conjugali, & maritum tanqvam extraneum conſideremus, numne cum uxore alii nupta poteſt committere adulterium? annon uxor pretium accipere poteſt, ne ex iracundia ducta tertio hoc adulterium prodat, atqve ad virum accuſandum inſtiget?

get? Valde ſane probabile eſt, qvod Marcianus eundem caſum ante oculos habuerit. Qvemadmodum enim qvilibet extraneus, qvi adulterinos partus alienæ familiæ obtrudere allaborat, legis Juliæ pœnis apprehenditur; ita nullam diverſitatis rationem perſpicio, quæ maritum qva talem ab illis abſolvat. Verum nos forte inſtituti memores eſſe jubebis, qvibus uxoris ut talis lenocinium deducere propoſitum eſt; impræſentiarum autem nihil minus fieri, qvippe hic, fatentibus nobis ipſis maritus non ut maritus, ſed ut extraneus conſideretur; præterea adulterium ipſius æqve ab alia qvavis muliere, ac ab ejus uxore, promoveri adjuvariqve poſſe. Imo & nos de facili habebis conſentientes, cum ſimili ratione ſtatuamus, Juris Civ. Romani principiis per hactenus latius deducta inconveniens fuiſſe lenocinium uxoris qva talis, ob id, qvod reſpectu ejus adulterium maritus non commiſerit. Et licet domum qvoqve præbeat ad adulterium viri cum aliena uxore committendum, licet omnes cæteras ſpecies exerceat, attamen ſemper ut alia quævis mulier adſpici poterit, adeoqve non expectabis, ut diutius illis immoremur; cum & veteres JCti hac in parte plane taceant.

§. 22. Et hæc fuit facies lenociniorum de Jure Digeſtorum. Codicis vero & Novellarum jure qvædam retenta, qvædam in aliam formam transfuſa, de qvo etiam breviter diſpiciemus. *Lenocinium vulgare* ſupra deſcripſimus, quod ſit adjuvatio proſtitutionis mulierum qvæſtuariarum, ſive qvæ palam corpore qvæſtum faciunt *vid.* §. 2. An noviori jure qvoqve ita obtinuerit, intricatior paulo erit diſqviſitio, ad qvam eo melius eruendam ſolicitii ante omnia erimus, qvænam proprie mulieres vulgares, & qvæ qvæſtum corpore faciebant ſive qvæſtuariæ apud Romanos dictæ fuerint. Primum enim mos inter veteres receptus erat, ut mulieres licentiam ſtupri apud Ædiles vulgarent, & hoc ſub nullius pœnæ metu cuilibet liberum erat, cum ipſum factum ſatis infamiæ continere credebatur, ubi inſuper ſolenne erat ſcortis, mutatum nomen cellæ in lupanari

 inſcri-

Digitized by Google

inſcribere. *Alex. Sardus de Morib. & Rit. lib.* 1. *C.* 15. qvo faciunt loca Martial. & Plauti citata à *Salmuth. in Not. ad Panc. Rr. mem. Lib.* 2. *C.* 10. *p. m* 418. *ſqq.* (ubi & Meſſalinam in artis iſtius profeſſione nomen Lyciſcæ aſſumſiſſe referr Juvenale teſte.) Qvod ipſum egregie illuſtrat *Tacitus Lib.* 2. *Ann. C.* 85. *n.* 1. *ſqq.* cujus "verba adſcribere non pigebit: Eodem anno gravibus Senatus „decretis libido fœminarum coercita, cautumqve, ne qvæſtum „corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eqves Roma„nus fuiſſet. Nam Veſtilia Prætoria familia genita licentiam „ſtupri apud Ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qvi „ſatis pœnarum adverſum impudicas in ipsa profesſione flagi„tii credebant. Exactum & à Titidio Labeone Veſtiliæ mari„to: Cur in uxore delictimanifeſta ultionem legis omiſiſſet? „atqve illo prætendeute, ſexaginta dies ad conſultandum da„tos nec dum præteriiſſe, ſatis viſum de Veſtilia ſtatuere: eaqve „in inſulam Seriphon abdita eſt. *Conf. Matth p.* 361. *ſq. n.* 6. Ta„metſi vero hic tantum filiis, neptibus atqve uxoribus Eqvi„tum Romanorum profesſio nominis publica interdicta ſit, cæteris tamen illud adhuc fuiſſe permiſſum, manifeſtum eſt. Qvæ igitur hac ratione nomen ſuum inſcribi patiebantur, impune qvibus vellent, proſtituere ſe poterant. nec adulterium nec ſtuprum committebant, niſi quod infamia Edicto Prætoris illas ſeqveretur; de qvibus capiendam puto *l.* 22. *C. h. t.* ubi Impp. Diocletianus & Maximlanus ſequenti modo reſcripſerunt: *Si ea, qve ſtupro tibi cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, acproſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuit: adulterii crimen in ea ceſſat.* Succeſſu temporis poſtea & domina cauponæ à claſſe vulgarium exemta eſt ab Imp. Conſtantino *in l.* 29. *C. eod.* ſic ſtatuente: *Qua adulterium commiſit: utrum domina cauponæ, an miniſtra fuerit, reqviri debebit. & ita obſeqvio famulata ſervili, ut plerumq; ipſa intemperantia vina præbuerit, pro vilitate ejus, qvæ in reatum deducitur, accuſatione excluſa, liberi, qvi accuſatur, abſcedant: cum ab his fœminis pudicitia racia reqviratur, qvæ juris nexibus*

*nexibus detinentur, & matris familias nomen obtinent. Hæ autem
immunes à judiciaria ſeveritate & ſtupri adulterii præſtentur, quas
vitæ vilitas dignas legum obſervatione non credidit.* Videmus ex-
inde præter neptes, filias & uxores Eqvitum Romanorum &
& dominam cauponæ, imo qvam libet matrem familias excipi
è vulgarium numero; in cæteris vero regulam retineri. Qvare
non poteſt honeſta qvædam fœmina, qvæ adulterium commi-
ſit, poſtea ut à pœnis ejus ſe liberaret, nomen ſuum inter lenas
profiteri, licet hæ alias ab adulterii reatu immunes ſunt. Qvo
faciunt ea, qvæ Papinianus *in l. 10. ſ. 2 ff. h. t.* recenſet: *Muli-
er, quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium ſecerit, aut operas
ſuas in ſcenam locavit, adulterii accuſari damnarique ex SCto poteſt.*
Cujus rei qvoqve *Svetonius in Tiber, Cap. 35.* meminit his verbis:
Fœminæ famoſæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignita- “
te matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant, & “
ex juventute ordinis utriusqve profligatiſſimus qvisqve, quo- “
minus in opera ſcenæ arenæqve edenda Senatus Conſulto te- “
nerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubibant. Eos easque “
omnes, ne qvod refugium in tali fraude cuiqvam eſſet, exilii “
pœna affecit. conf. *Briſſon. Tr. ad L. Jul. de Adult. p. m. 26. ſq.* “
Ant. Matth. de Crim. L. 48. t. 3. n. 5. p. m. 358. Nec ſilentio hic
nobis videtur transmittenda cauſa tamdiu toleratarum vulga-
rium mulierum atqve lenonum, qvæ ſine dubio præter allega-
tam ſupra evitationem adulteriorum atqve ſtuprorum & in æ-
rarii locupletatione reponenda eſt. Imperator enim Caligu- “
la (ut refert *Svetonius in ejus vita Cap. 40.*) vectigal ex capturis- “
(ſive qvæſtibus) proſtitutarum, qvantum qvæqve uno con- “
cubitu meruit, extorſit, additumque ad caput legis, ut tene- “
rentur publico, & qvæ meretricium. & qvi lenocinium feciſ-
ſent. Et ſi *Pancirollo Theſ. Var. Lect. lib. 3. C. 31. p. 498.* credi-
mus, hoc meretricum lenonumqve vectigal diu manſit; Lam- “
pridium enim ſcribere, Alexandrum Imp. vetuiſſe talia vecti-
galia ſacro ærario inferri, ſed ea deputaſſe (& conſeqventer “

nom

Digitized by Google

"non penitus ſuſtuliſſe) ad inſtaurationem Theatri, Circi & "Amphitheatri. Ut itaqve apparet, profeſſio nominis apud Ædiles tunc temporis qvidem jam in uſu eſſe deſierat, inqve ejus locum hoc vectigal ſucceſſerat, qvod ut eo commodius exigeretur, beneficiarii Principis in certas matriculas ejusmodi perſonas conſignare debebant, qvod nos docet *Caſaub. in* "*Not. add. l. Suet. p. m. 469.* Similiter aliæ quoque artes & ſor"didæ & ſceleratæ pretio tolerabantur, eratque beneficiario"rum Principis & curioſorum *inqvirere,* atque in matriculas ſu"as referre eos, qvi de tali cauſa publico tenerentur. Qvi & "Chriſtianos inter hos repertos fuiſſe ex Tertull. adducit: Ne"ſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cum in matriculis bene"ficiariorum & curioſorum, inter tabernarios & lanios & fures "balnearum & aleones & *lenones Chriſtianoqve vectigales continentur.* Atqve hac ratione plena licentia meretricibus atqve lenonibus aperta eſt, donec tandem Impp. Theodoſius junior & Valentinianus venerunt, hocqve vectigal laudabili inſtituto penitus ſuſtulerunt in *Nov. ſua 18. lib 1.* qvam exhibet *Gothofredus in Appendice Cod. ſui Theodoſiani p. 10. (conf. Idem ad l. 2. C. Th. de Lenonib. Tom. 5. p. 38. col. 2.)* cujus verba integra adſcribere non hæſitabimus: *Nam cum (Florentius) lenonum calliditate damnabili circumventam veterum videret incuriam, ut ſub cujusdam luſtralis præſtationis obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere commercium, & injuriam ſui ipſam quodammodo ignaram cohibere Rempubl. pio circa omnium verecundiam propoſito, manſvetudinis noſtræ amore pudiciciaqve ſuggeſſit, ad injuriam noſtrorum temporum pertinere, ſi aut lenones in hac liceret urbe verſari, aut eorum turpiſſimo quæſtu Ærarium videretur augeri. Ac licet nos illud adverteret execrari etiam ceſſante vicaria oblatione vectigalis, tamen ne ullum ad ærarium* (*vid. Gothofr. Cod. Th. Tom. 5. pag. 315. cap. 2.*) *incommodum perveniret, propriam poſſeſſionem obtulit, ex cujus reditibus poſſit accedere, qvod prædictum peſſimum genus conſveverat penſitare. Unde providentiam & munificentiam ejus libenter amplexi hac manſura in*

ævum

ævum lege ſancimus ut ſi qvis poſthac mancipia tam aliena quampropria aut ingenua corpora qualibet taxatione conducta proſtituere ſacrilegii temeritate tentaverit, in libertatem prius miſerrimis mancipiis vindicatis, vel ingenuis perſonis conductione impia liberatis, graviſſime verberatus hujus urbis finibus, in qva vetitum nefas crediderit, exercendum ad exemplum omnium emendationemqve pellatur.

§. 23. Tametſi vero peſtem illam è Republ. penitus eradicare intenderit Theodoſius, attamen non diu manſiſſe. qvin potius ad priſtina vitia perventum eſſe videtur, ut Theodoſio poſt octuaginta circiter annos ſuccedens Anaſtaſius initio ſtatim Imperii ſui neceſſarium duxerit, pretium impunitatis, qvod pendebant meretrices, & ſpurcum lenonum tributum tollere, ut ex Evagrio *Lib. 3. Cap. 39.* refert *Perez in Cod. lib. 11. tit. 40. n. 7. & 8.* Dicebatur autem vectigal illud *Χρυσάργυρον*, qvaſi aur-argenteum, qvod omnes mendici & pauperes, omnes meretrices, omnes liberti in agris & urbibus annuatim expendere cogebantur, &c, ut plenius deſcribit ex Zonara *Chriſt. Matthiæ in Theatr. Hiſt. p. m. 746.* Ceſſantibus itaqve pro diverſitate temporum mulieribus qvæſtuariis, & ipſi lenones per leges abrogati ſunt, niſi qvod hinc inde varias fraudes excogitarent iterum, qvibus palliare ſuum ſcelus poſſent. Cum enim profeſſio nominis publica eſſet interdicta, nec amplius corpore qvæſtum facere ſub qvadam vectigalis præſtatione liceret, adeoqve lupanaria penitus erant eradicata, alia ipſis via invenienda erat, qva, qvo aperto ſcelere haud erat perveniendum, aſtibus atqve inſidiis penetrarent, qvas optime deſcribit acerrimus lenonum oſor Juſtinianus in *Novell. ſua 14.* Lenones ſcilicet circumire ſolitos eſſe provincias & loca varia, & qvaſi venaturam exercuiſſe miſerarum puellarum, qvas ineſcaverint oblatis calceamentis, veſtibus & aliis ejusmodi munuſculis ad corrumpendos animos comparatis, eaqve ratione Conſtantinopolin pellexiſſe, ut qvaſi victimas publicæ libidini proſtitutas alerent, atqve ab ipſis vicisſim alerentur, omni qvæſtu, qvem

Digitized by Google

corpore ſuo mulierculæ meruiſſent, ad ipſos lenones redeunte. Accepiſſe qvoqve lenones eo nomine ſyngraphas ſive cautiones & fidejuſſores, ut meretrices cogerentur, qvamdiu lenonibus libuiſſet, in poteſtate ipſorum etiam invitæ remanere; ac ne qvidem matrimonio honeſto copulari poſſent ſine lenonis conſenſu; & eo cum ſcelere eorum perventum eſſe, ut ne qvidem à puellarum decennium, nec vir potentium corruptione periculoſiſſima abſtinuerint. conf. *Rittershuſ. ad Nov. Part. 12. Cap. 7.* Hiſce ergo prægnantibus motus rationibus Imp. Juſtinianus §. 1. *d. Nov.* 14. ſanxit: *Igitur cum arte & dolo & neceſſitate quas libet talium* (mulierum) *ad luxuriam deduci omnibus prohibemus modis, & nulli fiduciam eſſe paſcere meretricem, & in domo habere mulieres, aut publice proſtituere ad luxuriam)* lenones itaqve vulgares potisſimum hic reſpicit) & *pro alio quodam negotio talia mercari)* ſcil. ut inſtrumenta cauponii. *vid.* ℱ. 5. item, ut potantibus intemperantiæ vina præbeant. *l. 29. C. h. t.* conf. §. *prec.* (qvæ lex adeo hic abrogatur.) *neque conſcriptiones ſuper hoc percipere* p æ in *fin. Nov.* pro nullis declarantur) *neqve fidejuſſores exigere, neqve tale aliqvid agere, qvod cogat miſeras & invitas)* nam volentes non poſſunt amplius per ſupra alleg. Conſt. Theodoſ. & Anaſtaſii) *ſuam caſtitatem confundere. Omnino enim & lenocinium fieri prohibemus, & factum punimus.* (de qvo infra pluribus.) Etiamſi vero Juſtinianus hic ſeverisſime interdixerit, ne lenonibus à mulieribus turpitudini deſtinatis fidejuſſores conſtituerentur, de perſeverando in vita impudica, ac nunqvam revertendo ad bonam frugem & honeſtam converſationem, omnemqve obligandi vim talibus fidejuſſoribus denegaverit, attamen aliam ad finem ſuum perveniendi viam invenerunt lenones, dum loco fidejuſſorum jusjurandum à mulieribus, qvarum pudicitiam qvæſtus cauſa proſtituebant, exegerunt, nunqvam ſe ab impia & turpi operatione (ut vocat Imp. *in Nov. 51.*) ceſſare velle, hacqve ratione magis, qvam fidejuſſoribus conſtrinxerunt, mulieribus caſtitatem ſuam proſtituentibus pie ſe agere putantibus. Mo-

tus

tus ergo hiſce Imp Juſtinianus, huic qvoqve fraudi *in Nov. ſuâ* 51. occurrere aggreſſus eſt, ibiqve ſanxit, jusjurandum illud nullius eſſe momenti, imo eam qvæ præſtitit, ſine periculo perjurii ab eo recedere, atqve ad vitæ honeſtatem redire debere; indicta ſimul pœna decem librarum auri iis, qvi impie illud extorſerunt. Cui Juſtiniani Novellæ eo magis ratio conſtat, qvo notius eſt, juramenta contra bonos mores præſtita non eſſe obligatoria: conf. *Rittersh. ad Novell. Part. 12. Cap. 5.*

§. 24. In præſentia tempora ſi inqviramus, ad veteres fere mores videtur eſſe perventum. Qvo enim majores dantur urbes atqve civitates, eo freqvenvtiora ac magis publica lupanaria & conſeqventer lenones publicos reperire ibidem licet. Non jam mentionem faciam domuum muſicalium, vulgo Spiel-Häuſer, dictarum, ac in Belgio Angliaqve maxime uſitatarum, nec adducam *Carpzov.* qvi *Pr. Crimp. 2. qv. 70. n. 7. ſeqq.* refert in Italia foveri receptacula ſcortorum, ex qvibus cenſus annuatim colligitur, qvem vulgo Milch-Zinß appellant. Neſcio etiam an huc referri poſſit, qvod *Limn.* habet *Lib 9. Jur. Publ. C. 1. n. 86.* Communem fere perſvaſionem eſſe, meretrices, qvæ, ut corpore qvæſtum faciant, ad Civitatem, ubi Comitia celebranda convolare ſolent, ſua apud Pappenheimium profiteri nomina. Ante omnia enim inqvirendum eſſet, qvo veritatis fundamento illa perſvaſio nitatur, qvod tamen ſe latere ipſe Limnæus fatetur, nec prolixius illud indagare noſtra jam intereſt.

§. 25. Progrediamur potius ad reliqvas ſpecies, ubi nobis licebit eſſe aliqvanto previoribus. Nihil namqve peculiare jure noviori circa generales lenocinii eminentis ſpecies conſtitutum reperimus. Id ſaltem notamus, qvod *Nov. 14.* pœna etiam illos dignos judicaverit, qvi ſcienter lenones in domibus ſuis verſari permittunt, qvod addi poteſt primæ ſpeciei § 4. ſupra explicatæ, de quo tamen infra commodior dicendi locus erit. Neqve prolixe in lenocinio ancillarum liberorumque

Digitized by Google

nos detinebimus, cum jam §. 10 de Jure Codicis qvædam diſſeruerimus, de qvo videtur, vulgare tantum fuiſſe. In qvo nos confirmat *l. 20 C. h. t.* qvæ miniſtras cauponæ immunes à judiciaria ſeveritate & ſtupri & adulterii eſſe dicit. conf. *l. 6. C. de ſpectac. & Lenonib. lib. 11. l. 12. C. de Epiſcop. Aud. l. 1. C. Th. h. t.* Sed obſtat, qvod *all. l. 6.* de peccandi neceſſitate invitis à dominis patribusqve impoſita loqvatur; lenocinium vulgare vero liberam nominis profeſſionem mulieres qvæſtuariæ præſupponat. verum patria atqve dominica poteſtas tanta olim erat, ut nihil plane libertatis ſervis, liberisqve parum fuerit relictum, adeoqve difficulter dignoſci potuerit, volentes an inviti qvid faciant.

§. 26, Reſtat adhuc lenocinium Conjugum. De Vulgari videtur concepta *eſſe l. 22. C. h. t.* ubi Imperat. Diocletianus & Maximin. hunc in modum reſcripſerunt: *Si ea, quæ ſtupro tibi congnita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuit: adulterii crimen in ea ceſſat.* Qvid ergo, ſi maritus adjuvet adulterium ejusmodi uxoris? annon procurat proſtitutionem uxoris, qvæ vulgaris eſt? Mirum ſane divortium hic inter ſe faciunt Interpretes in exponenda & conciliianda hac lege cum *l. 13. §. 2. ff. h. t.* de qva §. 11. qvædam diximus; qvorum qvatuor ſententias refert *Ant. Matth. de Crim. L. 48. tit. 3. C. 1. n. 6.* illisqve rejectis ſuam annectit, diſtingvendo inter eam, qvæ marito deſerto paſſim & ſine delectu, meretricio more ſe proſtituit, & eam qvæ ſtupratoribus qvidem corpus committit, non tamen maritum deſerit, nec paſſim & ſine ullo delectu id facit. De illa loqvi Reſcriptum Imp. de hac Ulpiani *l. 13.* Non vacat jam prolixius hanc Matthæi conciliationem excutere; ſuperflue tamen conſulti viderentur Impp. de eo caſu: An is adulterium commiſerit, qvi mulierem cognovit, qve maritum deſeruit, & vulgo ſe proſtituit? qvippe cuilibet ſtatim apparet, nullum hic ſubeſſe adulterium, cum *alieni thori* violatio deficiat. Vel igitur de Senato-

ro

re filióve ejus fuit qvæſitum, qvi teſte *Ulpiano tit.* 13. §. 1. corporé qvæſtum facientes ducere uxores prohibebantur, adeoqve inter illos nullum erat matrimonium §. 12. *I. de Nupt.* (conſeqventer, nec lenocinium Conjugum) vel dicendum, cum vulgo ſe proſtituentibus plane non fuiſſe matrimonium, qvam conjecturam adjuvat *l. 41. ff. de Ritu Nupt.* (qvod tamen limitatur, niſi poſtea illam vitam deſeruerint, *d. l.* 13.) Ut adeo talis, qvi ejusmodi uxoris proſtitutionem procurat, leno qvidem dicendus ſit, aſt nonleno maritus.

§. 27. Prolixam diſſerendi occaſionem ſupra §. *13. ſeqq.* nobis præbuit ille leno maritus, qvi deprehenſam in adulterio uxorem retinuit, adulterumqve dimiſit; de qvo & hic qvædam monenda veniunt. Potisſima enim iſtius lenocinii ratio in eo conſiſtebat, qvod conſtante eodem matrimonio, uxor accuſari non poterat adulterii, adeoqve retinens eandem manifeſtum lenocinii reum ſeipſum conſtituebat. Hoc qvoqve Jure Codicis ſimiliter obtinuiſſe multæ Conſtitutiones Impp. teſtantur. Ita Impp. Severus & Antoninus *in l. 2. C. ad L. Jul. de Ad. Crimen lenenocinii contrahunt, qvi deprehenſam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt.* Item Alexander *in l. 11. C. eod. Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non poſſe, nemini dubium eſt.* Cum qvibus conſentiunt Impp. Valerianus & Gallienus *in l. 17. C. eod.* vid. ff. 20 illum in pœnam committere ſtatuentes, qvi adulteram ſciens, ut ignorantiam ſimulare non posſit, retinet uxorem. Longe vero alia Jure Novellarum diſpoſita ſunt. Et qvidem nonnulli putant, inter qvos eſt Matthæi *L. 48. t. 3. n. 14. p. 371. in fin.* & Farinac. *Q.* *144. n. 93.* ideo hodie deprehenſam in adulterio uxorem retinentem extra legis pœnam eſſe, qvoniam etiam recipere damnatam poteſt, ſi modo frugi facta ſit. *arg. ex Nov. 134. C. 10.* Longe clarius tamen mutationem infert *Auth. Sed novo Jure C. h. t.* qvam ſubjecit Irnerius *d. l. 11. C. h. t.* hiſce verbis; *Sed novo jure poteſt, & ſi accuſatio vera eſſe oſtendatur, tunc repudium mittere,*

 & in

& in ſcriptis eam accuſare debet. Si vero illatam adulterii accuſationem maritus non probaverit, illis ſubjiciatur ſuppliciis, quæ eſſet paſſura mulier, ſi accuſatio comprobata fuiſſet. Fons vero, unde illa deſumta, eſt in *Nov.* 117. *C.* 8. §. 2. ubi hæc leguntur: *Si de adulterio maritus putaverit poſſe ſuam uxorem convinci, oportet virum prius inſcribere mulierem, aut etiam adulterum: & ſi hujusmodi accuſatio verax eſſe oſtenditur, tunc repudio miſſo habere virum ſuper ante nuptias donationem, etiam dotem, &c.* Hic ſane expreſſe conſtitutum reperimus, non ſtatim maritum ad repudium uxoris adulterii ſuſpectæ feſtinare poſſe, ne ſcilicet hoc prætextu bene concordans matrimonium rumpatur, aut innocenti injuria inferatur; qvin potius antea in crimen ſe inſcribere ſummariamqve probationem adulterii præcedere, qvæ ſi veritate niti reperiatur, tum repudium ſeqvi debere, tandemqve accuſationem ad pœnam inferendam in ſcriptis commode fieri poſſe. Exinde jam argumentati ſunt Dd. (vid. *Brunn. ad l.* 2. *& u. C. h. t. Carpz. P.* 4. *C.* 29. *def.* 2. *n.* 10.) Si non ante poteſt maritus repudium uxori mittere, qvam probaverit adulterium, qvomodo quæſo ille maritus ex eo ſolo leno erit dicendus, quod deprehenſam in adulterio uxorem retinuerit. *l.* 29. *ff. h. t.* Sane huic ſi ſatisfaceret legi, aperte contra *Nov.* 117. committeret. Quid ergo pluribus? Abrogata illa eſt per hanc Nov. tanquam poſteriorem. Fateor ſpeciem maximam habere hoc argumentum primo intuitu, ſed accuratius inſpectum nondum omni carere dubio. Dicit namqve Juſtinianus in all. Nov. ſi de adulterio maritus PUTAVERIT poſſe ſuam uxorem convinci; tunc certe opinio hæc ad repudiandam uxorem haud ſufficit, ſed oportet judici ſummariter fidem faciat de adulterio uxoris, cum facile alias evenire poſſet, ut crimine hoc non probato, matrimonium ſine juſta cauſa dirimatur. Sed qvid opus probationibus, ubi factum ipſum loqvitur, ubi in ipſo opere maritus adulteram deprehendit. Hic ſane ratio Nov. ceſſat. Maxima igitur differentia eſt inter mulierem adulteram & depre-

hen-

henſam in dulterio conf. *Gothofr. ad. d. l. 29. lit. p.* Si doceri qveat, maritum in ipſo adulterio uxorem deprehendiſſe, adulterum dimiſiſſe, illam vero retinere, nec ullo injuriæ illatæ ſenſu tangi, puto non obſtante Nov. pro lenone ipſum habendum eſſe. Cur enim non ſtatim teſtes induxit, ac poſtea adulterum una cum adultera ejecit? Eqvidem contra hanc conciliationem inſurgit *Berlich. P. 5. Concl. 40. n 37.* & objicit *l. 17. C. h. t.* ubi dicitur, qvod maritus leno dicatur, non ſolum qvi uxorem in adulterio deprehenſam, ſed etiam qui eam adulteram tantum ſciens in matrimonio retinet. Sed de dreprehenſa in *d. l. 17.* nihil. Et ſcientia forte explicari qvoqve poterit de deprehenſione) unde enim illa melius qvam ex hac probatur) imo hic opponitur ſaltem opinioni & ſuſpicioni (vid. omnino *l. 2. C. eod.*) qvam qui habet tantum, etiam adulteram retinere non prohibetur. (aliam conciliationem ſubnectit ibid. *Berlich. n. 40.*) Aſt, inqviunt porro, remittere poteſt injuriam ſibi illatam maritus. *Nov. 134. c. 10.* conf. *Carpz. Q. 71. n. 31-35.* Reſpondemus: Remiſſio gratuita tantum in comperto poſtea ſtupro locum habet. *l. 29. §. 2. ff. h. t.* Et in *all. Nov.* tantum liberum relinquitur marito, num adulteram verberatam, & in monaſterium detruſam (adeoqve juſtis pœnis coërcitam) intra biennium recipere velit, nec ne, de qvo poſtea. Cum debito tamen moderamine illud omnino acceptum velim, ut nempe liqvidiſſime conſtet, maritum in ipſo opere deprehendiſſe adulterantes, qvod etiam inculcare videntur LL. Cod. ſupr. alleg. qvibus adde *l. 30. C. eod.*

§. 28. Seqvitur jam ille maritus, qvi pretium pro comperto uxoris ſtupro acceperit. vid. §. 6. & 16. Simile fere diſpoſitum de eo reperimus ab Alexandro in *l. 10. C. h. t.* ita reſcribente: *De crimine adulterii paciſci non licet: & par delictum eſt accuſatoris prævaricatoris, & defugientis veritatis inqviſitionem. Qui autem pretium pro comperto ſtupro accepit, pœna Legis Juliæ de adulteriis tenetur.* Per paciſci hic intelligunt unanimi conſenſu

Dd,

Dd. (inter qvos præprimis conſ. *Briſſon. p. 111. Matth. tit. 19. c. 7. n. 9. & 15. & ex eo Brunn. ad h. l. 10. n. 4.*) conventionem non gratuitam, ſi ſcil. pretio qvantocunqve dato redimitur accuſatio, adeoqve qvoad gratuitam remisſionem, qvam ſupra ex *l. 19. §. 2. ff. h. t.* licitam eſſe diximus, hic nihil innovatum eſſe putant. Hancqve in rem multos allegant textus, qvi omnes tamen parum rem probare videntur. Nos hic generaliter verbum paciſci accipimus, ſi duo in idem placitum conſenſerint, adeoqve per hanc Alexandri Conſtitutionem *legi 19.* §. 2 derogatum eſſe "putamus. Sed, inqvit *Briſſon. d. l.* injuriam ſuam gratis re"mittere nemo prohibetur, nec veniæ datione interdicitur, ſed "ſordidis pactionibus: proinde nec qvi precibus exoratus vin"dictam doloris ſui omiſit, nec qvi precibus impetravit, ne ſe"cum ageretur, illicitam rem feciſſe judicantur, contra qvam ſi "de crimine, aliqvo dato, turpiter pacti ſint. Imo vero inqvam, illicita res eſt, ab accuſatione ſemel cœpta qvocunqve modo deſiſtere vel eam intermittere, qvia Reip. intereſt, ne delicta maneant impunita. Hinc merito ſeparatam cauſam eorum, qvi cum adulteris paciſcuntur (ſcilicet etiam gratuito) ab iis conſtituit Imperator qvi pretium pro comperto ſtupro acceperunt. Nec adeo hic in pœna differentiam cum Briſſon. ſtatuimus, qvi paciſcentes cum adulteris de non inſtituenda accuſatione, pœna L. Corn. de Falſ. ex *l. ult. ff. de Concuſſ.* dignos eſſe judicat. Putarem potius, eadem pœna eos afficiendos eſſe, qva rei fuiſſent affecturi, præſertim cum Imperator dicat, par delictum eſſe accuſatoris prævaricatoris & defugientis veritatis inqviſitionem. Jam vero notum eſt ex *l. 6. ff. de Prævaric.* (qvæ Pauli eſt) *qvod prævaricationes eadem pœna afficiantur, qva tenerentur, ſi ipſi in legem commiſiſſent, qva reus per prævaricationem abſolutus eſt.* Verum qvid prolixe de ſenſu hujus legis diſputamus; Super adulterio commiſſo (ſunt verba *Brunn. ad d. l. 10. n. 6.* hodie tranſigi poſſe tradit *Clarus §. fin. Qvæſt. 58. n. 6. & Carpz. Qv. 71. n. 34.* ubi & alios citat.) *per Nov. 117. c. 8. & Auth.*

Sed

Sed nov. Jur. C. h. t. Sed maxime ſcire averem verba, qvibus illud probatum dare velint; mihi ſane eadem inveſtigare non contigit. Hinc *Brunnem.* in hæc ipſe verba *d. l. n. 7.* prorumpit: Verum id tantum ſeqvitur ex illa Novella (imo non ex illa, " ſed ex *Nov. 134. c. 10.*) qvod maritus condonare uxoris adul-" terium, & eam (ſcil. juſtis pœnis coercitam) recipere posſit," non vero qvod posſit, accepta pecunia paciſci vel tranſigere." Ideoqve licet concedam, maritum tranſigentem cum adulte-" ro non implicari pœnis, qvæ in eos ſtatutæ, qvi uxores ſuas " proſtituunt, non tamen ſecundum leges agunt. At ſi contra leges agu it, etiam pœna, qvam eædem in illos dictant, erunt afficiendi. Jam vero eos lenonibus comparant, pœnam legis Juliæ eis imponunt; ergo etiam ur illi mariti, qvi uxores ſuas proſtituunt, erunt puniendi.

§. 29. Ulterius lenonem ſupra §. 19. diximus qvoqve eum, qvi adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, idqve ex Codice qvadantenus confirmavimus, Sed qvid Novellis hac in parte introductum ſit, merito nobis inqvirendum erit. Breviter igitur ſtatuimus, hoc jure nullum eſſe caſum dabilem. Nam aut inter reas ſaltem recepta eſt: Aut jamjam damnata. Illo caſu diſtingvendum iterum videtur, an adhuc ſit in matrimonio prioris viri, & tunc alius ducere eam absqve bigamiæ crimine vix poterit, vel repudium jam miſſum eſt. Ubi certe, ſi cum alio matrimonium ineat (nam interim pro lenone non habendus, qvia adultera hodie retineri poteſt, per jam dicta) expectandum erit, num abſolvatur an condemnetur. Ibi validum pronunciandum erit matrimonium; qvippe priore ſoluto, & viro pœnæ talionis ſubjecto. Hic vero ſi damnata & juxta *Nov. 134. c. 10.* juſtis pœnis coercita in monaſterium detruſa ſit, ac alius eam exinde extrahat, non ut leno, ſed ut raptor monialis & tanqvam ſacrilegus erit conſiderandus; nam inde non niſi marito intra biennium reducere uxorem licet. Qvid audio? inqvies. An maritus uxorem adulteram reducere po-

Digitized by Google

teſti? Hunc ſane §. 20. & Pandectarum & Codicis jure lenonem eſſe probaſti. Bene mones. Sed audi *Nov. 134. c. 10. Adulteram vero competentibus vulneribus* (qvæ verba inGræco textu non habentur, ſed tantum de convenientibus pœnis. *Rittersh. ad Nov. Part. 12. C. 5. n. 14.*) *ſubactam, in monaſterium mitti (jubemus) & ſiqvidem intra biennium recipere eam virſuus voluerit, poteſtatem ei damus hoc facere & copulari ei, nullum periculum exhoc metuens; & nullatenus propterea, qvæ in medio tempore facta ſunt, nuptias lædi. Si vero prædictum tempus tranſiverit, aut vir priusqvam recipiat mulierem, moriatur, tonderi eam & monachicum habitum accipere, & habitare in ipſo monaſterio in omni propriæ vitæ tempore* &c. Qvam Irnerius *in Auth. Sed hodie C. h. t.* in hæc verba contraxit. *Sed hodie adultera verberata in monaſterium mittatur: qvam intra biennium viro recipere licet. Biennio transacto, vel viro, priusqvam reduceret ream, mortuo, adultera tonſa monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum vivit, permaneat &c.* Mutatam adeo hic vides *l. 9. C. h. t.* ex qva ſupra lenocinii teneri eum affirmavimus, qvi damnatam adulterii uxorem reduxerit. Qvi vero deprehenſam atqve dimiſſam, ſtatim reduxerit, ex noſtra hypotheſi §. 27. propoſita, omnino etiam jure noviori erit pro lenone habendus; qvod tamen aliqvatenus limitandum putamus, ſi forte jam judici commiſſum adulterium indicaverit, & ad iram teſtificandam uxorem dimiſerit; tunc enim, donec plenior probatio ſeqvatur, ad ſe iterum recipere eam non prohibetur. Aliud igitur judicium erit de eo, qvi propter adulterium delatam, ſed accuſatione nondum ad finem perducta, reducit uxorem. Cum enim jam audiverimus, novo jure maritum crimen adulterii retenta in matrimonio uxore inferre poſſe, nnn certe peccabit, ſi durante accuſatione repudiatam reducat, niſi qvis illud de accuſatione in ſcriptis facienda intelligere velit, cujus mentio fit in all. *Nov. Sed novo jure C. h. t.* Verba etenim imperativa ibidem habentur: *tunc repudium mittere, & in ſcriptis eam accuſare debet.*

Sed,

Sed cum in fonte nihil de hoc reperiamus, merito & ea nos turbare haud patimur.

§. 30. Tandem ſupereſt uxor, qvam qvatenus talem lenocinium committere ſupra de Digeſtorum jure negavimus, nec plura de ea in Codice & Novellis indagare nobis licuit. Hinc firma nobis ſedet ſententia, nec novo jure uxori maritum adulterum accuſandi fuiſſe integrum. vid. *l. 1. C. h. t. Matth. p.* 401. Ex qvo fluit, nec ejus adjuvationem mariti adulterii fuiſſe vetitam. Conſiderationem tamen aliqvam merentur verba *Novellæ* 117. *C.* 9. §. 5. *Si quis in ſua domo in qua cum ſua conjuge commanet, contemnens eam cum aliis inveniatur in ea domo manens; aut in eadem civitate degens, in alia domo cum alia muliere frequenter manere convincitur, & ſemel & ſecundo culpatus, aut per ſuos parentes, aut PER MULIERES, aut per alias aliqvas fide dignas perſonas hujusmodi luxuria non abſtinuerit, licere mulieri pro hac cauſa ſolvere matrimonium, &c.* Inde certe eluceſcere videtur, cum uxori jus ſit, maritum cum aliis mulieribus converſantem monere, aq; marito divertere, multo magis jus ipſi eſſe, adulterium vere perpetratum vindicare; quibus poſitis ſine dubio pro lena erit reputanda, ſi admonitionem illam vel vindicationem intermittat, aut qvovis alio modo adulterium viri promoveat. Enimvero cuilibet ſtatim apparet, hic non ſermonem eſſe de vero adulterio perpetrato, ſed tantum de manſione & converſatione cum alienis mulieribus; quamvis itaque huic luxuriæ conniveat, non tamen dici poſſet, adulterium viri adjuvaſſe, nec ut lena conjux punienda foret. Accedit, qvod hoc in ipſius ſaltem favorem ſit introductum, cui de facili ſi velit renunciare poteſt, adeoqve in ipſius odium minime detorqvendum eſſet. Remanet itaqve & novo jure Civili tantum *Lenocinium Mariti*, qvod jam deſcribimus eſſe *delictum publicum, qvo maritus adjuvat proſtitutionem ſuæ uxoris vel faciendam vel jam fa-*

Digitized by Google

ctam. Dicimus *delictum*, qvia hic adeſt factum tendens contra prohibitionem legis pœnam contrafacientibus dictantis. *Publicum*, qvoniam in illud pœna intereſſe Reipubl. reſpiciens certa & ſpeciali lege puclicorum Judiciorum, nempe Julia de adulteriis eſt ſtatuta. *Proſtitutionis* vero *adjuvationem* ad omne lenocinium reqviri ſupra latius deduximus, & qvidem pro differentia ſpecifica hic reqviritur, ut *maritus ſuæ uxoris* adjuvet proſtitutionem; *vel faciendam vel jam factam*; ad qvæ duo capita omnes lenocinii maritalis ſpecies referri poſſe videntur. Domum præbere ad utramqve proſtitutionem poteſt. Nam & illam præbere ſignificat, ſi in eam ad tractandum de adulterio ſoliti fuerit convenire *vid.* §. 4. Si deprehenſam in adulterio uxorem retinet, adulterumqve dimittit, ſi de adulterio uxoris paciſcitur, jam factam; at cum qvid accepit, ut uxorem patiatur adulterari, faciendam proſtitutionem adjuvat.

§. 31. Ordo nunc poſtularet, ut & noviſſima jura perluſtraremus, ac qvomodo illa lenones definirent, exponeremus. Commodior tamen ille nobis labor accidet, cum ad pœnam Juris Imperii & Saxonici infra pervenerimus. Et ſtatim qvidem impræſentiarum ad pœnam pergeremus, niſi qvædam, qvæ eam antecedere ſolent, ſupereſſent, ſicco pede nobis haud tranſeunda. Antecedit vero pœnam accuſatio. Ubi tum circa accuſatores, tum circa reos qvædam notabilia occurrunt. De illis pauca hæc nobis reliqvit Ulpianus *in l. 4. ff. de Accuſat. & Inſcript. Is qvi judicio publico damnatus eſt, jus accuſandi non habet; qvive artem ludicram vel LENOCINIUM fecerint*. Qvod de lenonibus eminenter ita dictis nullum qvidem habet dubium; qvippe illos judicio publico damnari nemo facile ambiget, qvi L. Julia de adulteriis eos expreſse notari ſciverit. Sed lenonibus vulgaribus hic ſermo eſt, qvi qvidem infamia à Prætore notantur. *l. 1. & 4. §. 2. de his, qvi not. inf.* qvia tamen non erant judicio publico damnati, ſpeciatim hic veniebant excipiendi.

§. 32.

§ 32. Circa reos vero, qvorum eſt fugere, exceptiones nobis ſunt attendendæ. Et qvidem tum adulter tum adultera à marito accuſati poſſunt ei abjicere exceptionem lenocinii, ille qvod lenocinio mariti fecerit, hæc autem, qvod eodem opitulante adulterata ſit. Ubi gravis movetur controverſia à JCtis num reus adulterii liberetur ab accuſatione per allegationem lenocinii? ſive an adulterium cum lenocinio ſit compenſandum? Ulpianus pasſim negativam tuetur. In *l. 2. §. 4. ff. h. t.* ita diſſerit: *Qvi hoc dicit, lenocinio mariti ſe feciſſe, relevare qvidem vult crimen ſuum, ſed non eſt hujusmodi compenſatio admiſſa: ideo ſi maritum velit reus adulterii lenocinii reum facere, ſemel delatus non audietur.* Item *ſ. 7. Extraneus autem neqvaqvam lenocinium objiciens, poſteaquam reus factus eſt, ſe relevabit, nec maritum pœnæ ſubjiciet.* De adultera conceptus eſt §. 5. *Si publico judicio maritus uxorem ream faciat, an lenocinii allegatio repellat maritum ab accuſatione? & putem non repellere: lenocinium igitur mariti ipſum onerat, non mulierem excuſat,* Qvibus haud abſimilia verba 13. *ſ. 5. ff. d. t.* ejusdem Ulpiani: *Judex adulterii ante oculos habere debet, & inqvirere, an maritus pudice vivens, mulieri quoqve bonos mores colendi auctor fuerit? per iniquum enim videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat: qvæ res & poteſt virum damnare, non rem ob compenſationem mutui criminis inter utrosqve communicare.* Connexionem horum Ulpiani aſſertorum, qvæ ad idem fere recidunt, haud difficulter invenire poterimus, ſi modo hypotheſin ejus in *l. 5. ff. publ. judic.* perpendamus: *Si qvis reus factus eſt, purgare ſe debet, nec ante poteſt accuſare, qvam fuerit excuſatus, conſtitutionibus*

 enim

enim obſervatur, ut non relatione criminum, ſed innocentia reus purgetur. Non unus tamen hic ſe ſiſtit, qvi Ulpiano adverſam teneat, qvos etiam ordine recenſebimus. Primus eſt Scævola, qvi in *l.* 47. *ff. Sol. matrim.* ita nobis ſcriptum reliqvit: *Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur; cur enim improbet maritus mores, qvos ipſe aut ante corrupit aut poſtea probavit? Si tamen ex mente legis ſumet qvis, ut nec accuſare poſſit, qvi lenocinium uxori præbuerit, audiendus eſt.* Secundo prodit Papinianus, in *l. 39. ff. eod.* hunc in modum ſtatuens: *Viro atqve uxore mores invicem accuſantibus, cauſam repudii dediſſe utrumq; pronunciatum eſt. Id ait accipi debet, ut ea lege, qvam ambo contemſerunt, neuter vindicetur; paria enim delicta mutua penſatione diſſolvuntur.* Qvibus ſe aſſocians Julianus regulæ Ulpiani ſupra allegatæ aliam opponit *in l. 3. §. 3 ff. de eo, per qvem factum erit. Ab utraqve parte dolum compenſandum eſſe.*

§. 33. Diſſenſum hic aliqvem inter JCtos verſari, jam obſervarunt Interpretes, nec defuerunt qvoqve, qvi conciliare eosdem aggreſſi ſunt. Non difficile forte illud foret, ſi lectionem Haloandrinam accipere velimus, qvæ *in d. §. 4. l. 2.* negationem tollit, & legit: *Sed eſt bujusmodi compenſatio ad miſſa,* Verum hanc criſin non procedere ſatis teſtantur cæteri textus Ulpiani. Audiamus igitur reliqvos conciliatores. Ubi qvidem neutiqvam curabimus Accurſium, qvi teſte *Briſſonio all. ſæpius tract. p.* 125. in hujusmodi diſſolutione valde impetitus, inanes qvasdam differentias excogitavit, ex qvibus adeo parum ſalis colligendum erit. Gothofredus *in Not. ad d. l. 2. §. 4. h. t. lit. f.* conciliationem qværit in verbo DELATUS, qvod idem ipſi eſt, ac inter reos receptus, ut ſenſus ſit, ſi is, qvi adulterii à marito accuſetur, anteqvam inter reos recipiatur, allegat lenoci-

lenocinium, qvod tunc liberetur, & de hoc caſu loqvi diſſentientes; ſi vero jam receptus ſit, eum minime audiri. Qvam in rem allegat *l. 15. §. 7. h. t.* ejusdem Ulpiani: *Præſcriptiones* (i.e. exceptiones) *quæ objici ſolent accuſantius adulterii, ante ſolent tractari, qvam qvis inter reos recipiatur, cæterum poſtea qvam ſemel receptus eſt, non poteſt præſcriptionem objicere.* Verum hic non adducam, qvod incertum adhuc ſit, deqvo verbum *delatus* intellectum velit Ulpianus, an de reo adulterii, an vero de marito-ſcil. reum adulterii non amplius audiri, ſi ſemel ab eo maritus delatus ſit, nec etiam qvod delatus non idem ſignificet, ac inter reos receptus (hic dicitur, auctore *Aſconio in Verrin. cit. Briſſon. p. 101.* cum apud Prætorem legibus interrogatus, crimen negavit, accuſatoriqve à magiſtratu inqvirendorum criminum dies datus eſt; delatio nominis vero præcedebat, hunc in finem ut delatus inter reos reciperetur. vid. *Matth. de Crim. L. 48. t. 13. c. 6. n. 1.*) Hæc enim ob defectum accuratæ veteris proceſsus deſcriptionis (qvam in hac qvæſtione potiſſimum deſideramus) prolixius diſcutere nobis prohibitum eſt. Statum controverſiæ ſaltem probe formabimus. Diffiteri non poſſumus, Ulpianum ipſum hanc diſtinctionem amplecti in *all. §. 7.* Sed ibi de extraneo loqvitur, & qvidem de inter reos jam recepto; ſi vero qværimus: An maritum lenocinii allegatio ab accuſatione uxoris repellat? Absqve diſtinctione reſpondet Ulpianus: *Et putem non repellere* licet dubitanter loqvatur, qvod diſſenſum aliquem ſubſuiſſe ſatis indicat) Contradicit quoqué generaliter Scævola: *Ut nec accuſare poſſit, qvi lenocinium uxori præbuerit;* adeoqve ne dubitaſſe qvidem de hoc videtur, ac ſi perficere accuſationem ſemel cœptam poſſit; ſi enim non poteſt ab initio accuſare, multo minus ad finem accuſationem perducere; accedente ratione Papiniani, qvod paria delicta mutua penſatione diſſolvantur. Nec regulam Ulpiani ex *all. l. 15.* adductam perpetuam ſemper eſſe,

ipſe

ipſe haud obſcure indicat in *l. 1. ſſ. 1. h. t.* de qvo inferius. Eandem viam ingreditur JCtus ſatis acutus *Ant. Matth. d. tr. tit. 3. C 4. § 15. p. 407.* ubi *l. 28. C. h. t.* (in qva præſcriptio lenocinii, qvod marito objicit, confirmatur) nec non leg. noſtram 47. cum dd Ulpiani textum conciliaturus, hæc verba ſubnectit: "Nec eſt, qvod reſpondeamus, niſi qvod & Duareno placuit: nempe præſcriptionem hanc dilatoriam eſſe, non peremtoriam ante litem conteſtatam ſi fuerit oppoſita, repelli maritum ab accuſatione: poſt litem conteſtatam non æqve. Qvæ conciliatio ſi cui durior videatur, fateatur ille neceſſe eſt, à Scævola Ulpianum diſſenſiſſe: & obtinuiſſe tamen Scævolam, qvippe ſententia ejus Conſtitutione Principum firmata. Non opes igitur erit, ut in refutanda hac conciliatione diutius nos detineamus, cum ipſe Matthæi malignitatem cauſæ prodat.

§. 34. Qvid igitur reſtat amplius qvam ut cordate dicamus, ſubeſſe hic Antinomiam, cum obliqve illud jam aſſeruerit Matthæi. Sed vellicat nobis aurem Briſſonius, qvi *d. Tract. p. 126. ſeqq.* ex intimioribus Jurisprudentiæ veteris adytis conciliationem eruere nititur. Putat enim hoc Scævolæ reſponſum de accuſatione morum, qvæ inter conjuges ſoluto matrimonio inſtituebatur, accipiendum eſſe, cujus exitus ille fuerit, ut alterutrius culpa divortium factum pronuntietur; & ſiqvidem maritus propter graviores ſuos mores disſidii cauſam præſtiteris, præſentem & integram dotem reddere coactus fuerit, mulierem vero, cujus culpa divortium factum, dotis parte multatam, & qvidem graviorum morum (ſc. adulterii) nomine ſextam, leviorum octavam retinuiſſe maritum. [ubi emblema Triboniani in interpolatione textuum veterum JCtorum annotat, qvod omnino vide) Hoc tamen limitationem recepiſſe, ſi ipſe qvoqve maritus impudice vivens exemplo ſuo ad peccandum mulierem induxiſſet, vel eam ob qvæſtum adulterari paſſus ſit. Diſtingvendum igitur probe eſſe accuſationem adul-

terii a morum accuſatione. Illam publicum, hanc privatum eſſe judicium; & ideo hanc lenocinii allegatione quaſi compenſatione mutui criminis excludi, illam vero neutiquam. Nec obſtare adeo, quod Scævola verbo *accuſare* utatur, quod publicum forte delictum indicare poſſit; nam & Papinianum de hoc morum judicio in *d. l. 39. ſol. matr.* idem uſurpare. Huc uſque Briſſonius. Enimvero, licet omnia, quæ hic de morum judicio afferuntur, recte ſeſe haberent, nondum tamen omnis obſtantia remota eſt. Loquitur enim Scævola de eo caſu, ſi maritus mores uxoris accuſet ob id, quod adulterium commiſerit. Jam ſi excipit uxor, nondum liquere ſe adulterium perpetraſſe, ante omnia vir neceſſe habebit accuſare illam adulterii, hocqve probatum dare. Ut fere exiſtimem, ſemper adulterii accuſationem, morum judicium præcedere debuiſſe, ſiquidem ob illud factum fuerit divortium. Hancque opinionem egregie adjuvat Papinianus *in l. 11. §. 3. ff. h. t. Socer cum nurum adulterii accuſaturum ſe libellis Præſidi datis teſtatus fuiſſet, maluit accuſatione deſiſtere, & lucrum ex doto magis petere: quæritur an hujusmodi commentum ejus admitti exiſtimes? Respondebit: Turpiſſimo exemplo is, qui nurum ſuam accuſare inſtituiſſet, poſtea deſiſtere maluit, contentus lucrum ex dote retinere, tanquam culpa mulieris diremto matrimonio: quare non inique repelletur, qui commodum dotis vindictæ domus ſuæ præponere non erubuit* (conf. tamen Math. *d. tr. p.* 390. (Eſto jam, quod accuſatio de morum judicio etiam prædicetur, indagandum nobis ſaltem erit, de qua accuſatione hic ſermo ſit Scævolæ. Si enim talia ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe à ſuis ſubjectis, dic quæſo, cui accuſationi prædicatum lenocinii magis competat, num adulterii an morum? Mihi ſane videtur lenocinium ad adulterium ſe referre, cum illud ſit hujus adjuvatio, & ſi de accuſatione morum prædicari deberet, ſequeretur, quod nullus leno maritus de moribus adverſus uxorem agere poſſet, quod principiis juris maxime videtur eſſe inconveniens. conf. l. 8. C. *de Repudiis*.

nos detinebimus, cum jam § 10 de Jure Codicis qvædam diſſeruerimus, de qvo videtur, vulgare tantum fuiſſe. In qvo nos confirmat *l. 20 C. h. t.* qvæ miniſtras cauponæ immunes à judiciaria ſeveritate & ſtupri & adulterii eſſe dicit. conf. *l. 6. C. de ſpectac. & Lenonib. lib. 11. l. 12. C. de Epiſcop. Aud. l. 1. C. Th. h. t.* Sed obſtat, qvod *all. l. 6.* de peccandi neceſſitate invitis à dominis patribusqve impoſita loqvatur; lenocinium vulgare vero liberam nominis profeſſionem mulieres qvæſtuariæ præſupponat. verum patria atqve dominica poteſtas tanta olim erat, ut nihil plane libertatis ſervis, liberisqve parum fuerit relictum, adeoqve difficulter dignoſci potuerit, volentes an inviti qvid faciant.

§. 26, Reſtat adhuc lenocinium Conjugum. De Vulgari videtur concepta *eſſe l. 22. C. h. t.* ubi Imperat. Diocletianus & Maximin. hunc in modum reſcripſerunt: *Si ea, qvæ ſtupro tibi cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuit: adulterii crimen in ea ceſſat.* Qvid ergo, ſi maritus adjuvet adulterium ejusmodi uxoris? annon procurat proſtitutionem uxoris, qvæ vulgaris eſt? Mirum ſane divortium hic inter ſe faciunt Interpretes in exponenda & concilianda hac lege cum *l. 13. §. 2. ff. h. t.* de qva §. 11. qvædam diximus; qvorum qvatuor ſententias refert *Ant. Matth. de Crim. L. 48. tit. 3. C. 1. n. 6.* illisqve rejectis ſuam annectit, diſtingvendo inter eam, qvæ marito deſerto paſſim & ſine delectu, meretricio more ſe proſtituit, & eam qvæ ſtupratoribus qvidem corpus committit, non tamen maritum deſerit, nec paſſim & ſine ullo delectu id facit. De illa loqvi Reſcriptum Imp. de hac Ulpiani *l. 13.* Non vacat jam prolixius hanc Matthæi conciliationem excutere; ſuperflue tamen conſulti viderentur Impp. de eo caſu: An is adulterium commiſerit, qvi mulierem cognovit, qve maritum deſeruit, & vulgo ſe proſtituit? qvippe cuilibet ſtatim apparet, nullum hic ſubeſſe adulterium, cum *alieni thori* violatio deficiat. Vel igitur de Senato-

Digitized by Google

re filiove ejus fuit qvæſitum, qvi teſte *Ulpiano tit.* 13. §. *1.* corpore qvæſtum facientes ducere uxores prohibebantur, adeoqve inter illos nullum erat matrimonium §. *12. I. de Nupt.* (conſeqventer, nec lenocinium Conjugum) vel dicendum, cum vulgo ſe proſtituentibus plane non fuiſſe matrimonium, qvam conjecturam adjuvat *l. 41. ff. de Ritu Nupt.* (qvod tamen limitatur, niſi poſtea illam vitam deſeruerint, *d. l.* 13.) Ut adeo talis, qvi ejusmodi uxoris proſtitutionem procurat, leno qvidem dicendus ſit, aſt nonleno maritus.

§. 27. Prolixam diſſerendi occaſionem ſupra §. *13. ſeqq.* nobis præbuit ille leno maritus, qvi deprehenſam in adulterio uxorem retinuit, adulterumqve dimiſit; de qvo & hic qvædam monenda veniunt. Potisſima enim iſtius lenocinii ratio in eo conſiſtebat, qvod conſtante eodem matrimonio, uxor accuſari non poterat adulterii, adeoqve retinens eandem manifeſtum lenocinii reum ſeipſum conſtituebat. Hoc qvoqve Jure Codicis ſimiliter obtinuiſſe multæ Conſtitutiones Impp. teſtantur. Ita Impp. Severus & Antoninus *in l. 2. C. ad L. Jul. de Ad. Crimen lenocinii contrahunt, qvi deprehenſam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt.* Item Alexander *in l. 11. C. eod. Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non poſſe, nemini dubium eſt.* Cum qvibus conſentiunt Impp. Valerianus & Gallienus *in l. 17. C. eod.* vid. ff. 20 illum in pœnam committere ſtatuentes, qvi adulteram ſciens, ut ignorantiam ſimulare non posſit, retinet uxorem. Longe vero alia Jure Novellarum diſpoſita ſunt. Et qvidem nonnulli putant, inter qvos eſt Matthæi *L. 48. t. 3. n. 14. p. 371. in fin.* & Farinac. *Q. 144. n. 93.* ideo hodie deprehenſam in adulterio uxorem retinentem extra legis pœnam eſſe, qvoniam etiam recipere damnatam poteſt, ſi modo frugi facta ſit. *arg. ex Nov. 134. C. 10.* Longe clarius tamen mutationem infert *Auth. Sed novo Jure C. h. t.* qvam ſubjecit Irnerius *d. l. 11. C. h. t.* hiſce verbis; *Sed novo jure poteſt, & ſi accuſatio vera eſſe oſtendatur, tunc repudium mittere,*

& in ſcriptis eam accuſare debet. Si vero illatam adulterii accuſationem maritus non probaverit, illis ſubjiciatur ſuppliciis, quæ eſſet paſſura mulier, ſi accuſatio comprobata fuiſſet. Fons vero, unde illa deſumta, eſt in *Nov.* 117. *C.* 8. *§.* 2. ubi hæc leguntur: *Si de adulterio maritus putaverit poſſe ſuam uxorem convinci, oportet virum prius inſcribere mulierem, aut etiam adulterum: & ſi hujusmodi accuſatio verax eſſe oſtenditur, tunc repudio miſſo habere virum ſuper ante nuptias donationem. etiam dotem, &c.* Hic ſane expreſſe conſtitutum reperimus, non ſtatim maritum ad repudium uxoris adulterii, ſuſpectæ feſtinare poſſe, ne ſcilicet hoc prætextu bene concordans matrimonium rumpatur, aut innocenti injuria inferatur; qvin potius antea in crimen ſe inſcribere ſummariamqve probationem adulterii præcedere, qvæ ſi veritate niti reperiatur, tum repudium ſeqvi debere, tandemqve accuſationem ad pœnam inferendam in ſcriptis commode fieri poſſe. Exinde jam argumentati ſunt Dd. (vid. *Brunn. ad l.* 2. *& 11. C. h. t. Carpz. P.* 4. *C.* 29. *def.* 2. *n.* 10.) Si non ante poteſt maritus repudium uxori mittere, qvam probaverit adulterium, qvomodo quæſo ille maritus ex eo ſolo leno erit dicendus, quod deprehenſam in adulterio uxorem retinuerit. *l.* 29. *ff. h. t.* Sane huic ſi ſatisfaceret legi, aperte contra *Nov.* 117. committeret. Quid ergo pluribus? Abrogata illa eſt per hanc Nov. tanquam poſteriorem. Fateor ſpeciem maximam habere hoc argumentum primo intuitu, ſed accuratius inſpectum nondum omni carere dubio. Dicit namqve Juſtinianus in all. Nov. ſi de adulterio maritus PUTAVERIT poſſe ſuam uxorem convinci; tunc certe opinio hæc ad repudiandam uxorem haud ſufficit, ſed oportet judici ſummariter fidem faciat de adulterio uxoris, cum facile alias evenire poſſet, ut crimine hoc non probato, matrimonium ſine juſta cauſa dirimatur. Sed qvid opus probationibus, ubi factum ipſum loqvitur, ubi in ipſo opere maritus adulteram deprehendit. Hic ſane ratio Nov. ceſſat. Maxima igitur differentia eſt inter mulierem adulteram & deprehen-

Digitized by Google

henſam in adulterio conſ. *Gothofr. ad. d. l. 29. lit. p.* Si doceri qveat, maritum in ipſo adulterio uxorem deprehendiſſe, adulterum dimiſiſſe, illam vero retinere, nec ullo injuriæ illatæ ſenſu tangi, puto non obſtante Nov. pro lenone ipſum habendum eſſe. Cur enim non ſtatim teſtes induxit, ac poſtea adulterum una cum adultera ejecit? Eqvidem contra hanc conciliationem inſurgit *Berlich. P. 5. Concl. 40. n 37.* & objicit *l. 17. C. h. t.* ubi dicitur, qvod maritus leno dicatur, non ſolum qvi uxorem in adulterio deprehenſam, ſed etiam qui eam adulteram tantum ſciens in matrimonio retinet. Sed de dreprehenſa in *d. l. 17.* nihil. Et ſcientia forte explicari qvoqve poterit de deprehenſione) unde enim illa melius qvam ex hac probatur) imo hic opponitur ſaltem opinioni & ſuſpicioni (vid. omnino *l. 2. C. eod.*) qvam qui habet tantum, etiam adulteram retinere non prohibetur. (aliam conciliationem ſubnectit ibid. *Berlich. n. 40.*) Aſt, inqviunt porro, remittere poteſt injuriam ſibi illatam maritus. *Nov. 134. c. 10.* conf. *Carpz. Q. 71. n. 31-35.* Reſpondemus: Remiſſio gratuita tantum in comperto poſtea ſtupro locum habet. *l. 29. §. 2. ff. h. t.* Et in *all. Nov.* tantum liberum relinquitur marito, num adulteram verberatam, & in monaſterium detruſam (adeoqve juſtis pœnis coërcitam) intra biennium recipere velit, nec ne, de qvo poſtea. Cum debito tamen moderamine illud omnino acceptum velim, ut nempe liqvidiſſime conſtet, maritum in ipſo opere deprehendiſſe adulterantes, qvod etiam inculcare videntur LL. Cod. ſupr. alleg. qvibus adde *l. 30. C. eod.*

§. 28. Seqvitur jam ille maritus, qvi pretium pro comperto uxoris ſtupro acceperit. vid. §. 6. & 16. Simile fere diſpoſitum de eo reperimus ab Alexandro in *l. 10. C. h. t.* ita reſcribente: *De crimine adulterii paciſci non licet: & par delictum eſt accuſatoris prævaricatoris, & defugientis veritatis inqviſitionem. Qvi autem pretium pro comperto ſtupro accepit, pœna Legis Juliæ de adulteriis tenetur.* Per paciſci hic intelligunt unanimi conſenſu

Do-

Dd. (inter qvos præprimis conf. *Briſſon. p. 111. Matth. tit. 19. c. 7. n. 9. & 15. & ex eo Brunn. ad h. l. 10. n. 4.*) conventionem non gratuitam, ſi ſcil. pretio qvantocunqve dato redimitur accuſatio, adeoqve qvoad gratuitam remisſionem, qvam ſupra ex *l. 19. §. 2. ff. h. t.* licitam eſſe diximus, hic nihil innovatum eſſe putant. Hancqve in rem multos allegant textus, qvi omnes tamen parum rem probare videntur. Nos hic generaliter verbum paciſci accipimus, ſi duo in idem placitum conſenſerint, adeoqve per hanc Alexandri Conſtitutionem *legi 19. §. 2* derogatum eſſe putamus. Sed, inqvit *Briſſon. d. l.* "injuriam ſuam gratis remittere nemo prohibetur, nec veniæ datione interdicitur, ſed "ſordidis pactionibus: proinde nec qvi precibus exoratus vin-"dictam doloris ſui omiſit, nec qvi precibus impetravit, ne ſe-"cum ageretur, illicitam rem feciſſe judicantur, contra qvam ſi "de crimine, aliqvo dato, turpiter pacti ſint. Imo vero inqvam, illicita res eſt, ab accuſatione ſemel cœpta qvocunqve modo deſiſtere vel eam intermittere, qvia Reip. intereſt, ne delicta maneant impunita. Hinc merito ſeparatam cauſam eorum, qvi cum adulteris paciſcuntur (ſcilicet etiam gratuito) ab iis conſtituit Imperator qvi pretium pro comperto ſtupro acceperunt. Nec adeo hic in pœna differentiam cum Briſſon. ſtatuimus, qvi paciſcentes cum adulteris de non inſtituenda accuſatione, pœna L. Corn. de Falſ. ex *l. ult. ff. de Concuſſ.* dignos eſſe judicat. Putarem potius, eadem pœna eos afficiendos eſſe, qva rei fuiſſent affecturi, præſertim cum Imperator dicat, par delictum eſſe accuſatoris prævaricatoris & defugientis veritatis inqviſitionem. Jam vero notum eſt ex *l. 6. ff. de Prævaric.* (qvæ Pauli eſt) *qvod prævaricationes eadem pœna afficiantur, qva tenerentur, ſi ipſi in legem commiſiſſent, qva reus per prævaricationem abſolutus eſt.* Verum qvid prolixe de ſenſu hujus legis diſputamus; Super adulterio commiſſo (ſunt verba *Brunn. ad d. l. 10. n. 6.* hodie tranſigi poſſe tradit *Clarus §. fin. Quæſt. 58. n. 6. & Carpz. Qu. 71. n. 34.* ubi & alios citat.) *per Nov. 117. c. 8. & Auth.*

Sed

Sed nov. Jur. C. h. t. Sed maxime ſcire averem verba, qvibus illud probatum dare velint; mihi ſane eadem inveſtigare non contigit, Hinc *Brunnem.* in hæc ipſe verba *d. l. n. 7.* prorumpit: Verum id tantum ſeqvitur ex illa Novella (imo non ex illa, " ſed ex *Nov. 134. c. 10.*) qvod maritus condonare uxoris adul-" terium, & eam (ſcil. juſtis pœnis coercitam) recipere poſſit, " non vero qvod poſſit, accepta pecunia paciſci vel tranſigere. " Ideoqve licet concedam, maritum tranſigentem cum adulte-" ro non implicari pœnis, qvæ in eos ſtatutæ, qvi uxores ſuas " proſtituunt, non tamen ſecundum leges agunt. At ſi contra leges agu it, etiam pœna, qvam eædem in illos dictant, erunt afficiendi. Jam vero eos lenonibus comparant, pœnam legis Juliæ eis imponunt; ergo etiam ur illi mariti, qvi uxores ſuas proſtituunt, erunt puniendi.

§. 29. Ulterius lenonem ſupra §. 19. diximus qvoqve eum, qvi adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, idqve ex Codice qvadantenus confirmavimus, Sed qvid Novellis hac in parte introductum ſit, merito nobis inqvirendum erit. Breviter igitur ſtatuimus, hoc jure nullum eſſe caſum dabilem. Nam aut inter reas ſaltem recepta eſt: Aut jamjam damnata. Illo caſu diſtingvendum iterum videtur, an adhuc ſit in matrimonio prioris viri, & tunc alius ducere eam absqve bigamiæ crimine vix poterit, vel repudium jam miſſum eſt. Ubi certe, ſi cum alio matrimonium ineat (nam interim pro lenone non habendus, qvia adultera hodie retineri poteſt, per jam dicta) expectandum erit, num abſolvatur an condemnetur. Ibi validum pronunciandum erit matrimonium, qvippe priore ſoluto, & viro pœnæ talionis ſubjecto. Hic vero ſi damnata & juxta *Nov. 134. c. 10.* juſtis pœnis coercita in monaſterium detruſa ſit, ac alius eam exinde extrahat, non ut leno, ſed ut raptor monialis & tanqvam ſacrilegus erit conſiderandus; nam inde non niſi marito intra biennium reducere uxorem licet. Qvid audio? inqvies, An maritus uxorem adulteram reducere po-

F teſt?

teſti? Hunc ſane §. 20. & Pandectarum & Codicis jure lenonem eſſe probaſti. Bene mones. Sed audi *Nov. 134. c. 10. Adulteram vero competentibus vulneribus* (qvæ verba in Græco textu non habentur, ſed tantum de convenientibus pœnis. *Rittersh. ad Nov. Part. 12. C. 5. n. 14.*) *ſubactam, in monaſterium mitti (jubemus) & ſiqvidem intra biennium recipere eam virſuus voluerit, poteſtatem ei damus hoc facere & copulari ei, nullum periculum ex hoc metuens; & nullatenus propterea, qvæ in medio tempore facta ſunt, nuptias lædi. Si vero prædictum tempus tranſiverit, aut vir priusquam recipiat mulierem, moriatur, tonderi eam & monachicum habitum accipere, & habitare in ipſo monaſterio in omni propria vitæ tempore* &c. Qvam Irnerius *in Auth. Sed hodie C. h. t.* in hæc verba contraxit. *Sed hodie adultera verberata in monaſterium mittatur: qvam intra biennium viro recipere licet. Biennio tranſacto, vel viro, priusqvam reduceret ream, mortuo, adultera tonſa monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum vivit, permaneat &c.* Mutatam adeo hic vides *l. 9. C. h. t.* ex qva ſupra lenocinii teneri eum affirmavimus, qvi damnatam adulterii uxorem reduxerit. Qvi vero deprehenſam atqve dimiſſam, ſtatim reduxerit, ex noſtra hypotheſi §. 27. propoſita, omnino etiam jure noviori erit pro lenone habendus; qvod tamen aliqvatenus limitandum putamus, ſi forte jam judici commiſſum adulterium indicaverit, & ad iram teſtificandam uxorem dimiſerit; tunc enim, donec plenior probatio ſeqvatur, ad ſe iterum recipere eam non prohibetur. Aliud igitur judicium erit de eo, qvi propter adulterium delatam, ſed accuſatione nondum ad finem perducta, reducit uxorem. Cum enim jam audiverimus, novo jure maritum crimen adulterii retenta in matrimonio uxore inferre poſſe, nnn certe peccabit, ſi durante accuſatione repudiatam reducat, niſi qvis illud de accuſatione in ſcriptis facienda intelligere velit, cujus mentio ſit in all. *Nov. Sed novo jure C. h. t.* Verba etenim imperativa ibidem habentur: *tunc repudium mittere, & in ſcriptis eam accuſare debet.*

Sed,

Sed cum in fonte nihil de hoc reperiamus, merito & ea nos turbare haud patimur.

§. 30. Tandem ſupereſt uxor, qvam qvatenus talem lenocinium committere ſupra de Digeſtorum jure negavimus, nec plura de ea in Codice & Novellis indagare nobis licuit. Hinc firma nobis ſedet ſententia, nec novo jure uxori maritum adulterum accuſandi fuiſſe integrum. vid. *l. 1. C. h. t. Matth. p.* 401. Ex qvo fluit, nec ejus adjuvationem mariti adulterii fuiſſe vetitam. Conſiderationem tamen aliqvam merentur verba *Novellæ* 117. *C.* 9. §. 5. *Si quis in ſua domo in qva cum ſua conjuge commanet, contemnens eam cum aliis inveniatur in ea domo manens; aut in eadem civitate degens, in alia domo cum alia muliere frequenter manere convincitur, & ſemel & ſecundo culpatus, aut per ſuos parentes, aut PER MULIERES, aut per alias aliqvas fide dignas perſonas hujusmodi luxuria non abſtinuerit, licere mulieri pro hac cauſa ſolvere matrimonium, &c.* Inde certe eluceſcere videtur, cum uxori jus ſit, maritum cum aliis mulieribus converſantem monere, aq; marito divertere, multo magis jus ipſi eſſe, adulterium vere perpetratum vindicare; quibus poſitis ſine dubio pro lena erit reputanda, ſi admonitionem illam vel vindicationem intermittat, aut qvovis alio modo adulterium viri promoveat. Enimvero cuilibet ſtatim apparet, hic non ſermonem eſſe de vero adulterio perpetrato, ſed tantum de manſione & converſatione cum alienis mulieribus; quamvis itaque huic luxuriæ conniveat, non tamen dici poſſet, adulterium viri adjuvaſſe, nec ut lena conjux punienda foret. Accedit, qvod hoc in ipſius ſaltem favorem ſit introductum, cui de facili ſi velit renunciare poteſt, adeoqve in ipſius odium minime detorqvendum eſſet. Remanet itaqve & novo jure Civili tantum *Lenocinium Mariti*, qvod jam deſcribimus eſſe *delictum publicum, qvo maritus adjuvat proſtitutionem ſuæ uxoris vel faciendam, vel jam fa-*

ctam. Dicimus *delictum*, qvia hic adeſt factum tendens contra prohibitionem legis pœnam contrafacientibus dictantis. *Publicum*, qvoniam in illud pœna intereſſe Reipubl. reſpiciens certa & ſpeciali lege puclicorum Judiciorum, nempe Julia de adulteriis eſt ſtatuta. *Proſtitutionis* vero *adjuvationem* ad omne lenocinium reqviri ſupra latius deduximus, & qvidem pro differentia ſpecifica hic reqviritur, ut *maritus ſuæ uxoris* adjuvet proſtitutionem; *vel faciendam vel jam factam*; ad qvæ duo capita omnes lenocinii maritalis ſpecies referri poſſe videntur. Domum præbere ad utramqve proſtitutionem poteſt. Nam & illam præbere ſignificat, ſi in eam ad tractandum de adulterio ſoliti fuerit convenire *vid.* §. 4. Si deprehenſam in adulterio uxorem retinet, adulterumqve dimittit, ſi de adulterio uxoris paciſcitur, jam factam; at cum qvid accepit, ut uxorem patiatur adulterari, faciendam proſtitutionem adjuvat.

§. 31. Ordo nunc poſtularet, ut & noviſſima jura perluſtraremus, ac qvomodo illa lenones definirent, exponeremus. Commodior tamen ille nobis labor accidet, cum ad pœnam Juris Imperii & Saxonici infra pervenerimus. Et ſtatim qvidem impræſentiarum ad pœnam pergeremus, niſi qvædam, qvæ eam antecedere ſolent, ſupereſſent, ſicco pede nobis haud tranſeunda. Antecedit vero pœnam accuſatio. Ubi tum circa accuſatores, tum circa reos qvædam notabilis occurrunt. De illis pauca hæc nobis reliqvit Ulpianus *in l. 4. ff. de Accuſat. & Inſcript. Is qvi judicio publico damnatus eſt, jus accuſandi non habet; qvive artem ludicram vel LENOCINIUM fecerint*. Qvod de lenonibus eminenter ita dictis nullum qvidem habet dubium; qvippe illos judicio publico damnari nemo facile ambiget, qvi L. Julia de adulteriis eos expreſse notari ſciverit. Sed lenonibus vulgaribus hic ſermo eſt, qvi qvidem infamia à Prætore notantur. *l. 1. & 4. §. 2. de his. qvi not. inf.* qvia tamen non erant judicio publico damnati, ſpeciatim hic veniebant excipiendi.

§. 32.

§ 32. Circa reos vero, qvorum eſt fugere, exceptiones nobis ſunt attendendæ. Et qvidem tum adulter tum adultera à marito accuſati poſſunt ei abjicere exceptionem lenocinii, ille qvod lenocinio mariti fecerit, hæc autem, qvod eodem opitulante adulterata ſit. Ubi gravis movetur controverſia à JCtis num reus adulterii liberetur ab accuſatione per allegationem lenocinii? ſive an adulterium cum lenocinio ſit compenſandum? Ulpianus pasſim negativam tuetur. In *l.* 2. §. 4. *ff. h. t.* ita diſſerit: *Qvi hoc dicit, lenocinio mariti ſe feciſſe, relevare qvidem vult crimen ſuum, ſed non eſt hujusmodi compenſatio admiſſa: ideo ſi maritum velit reus adulterii lenocinii reum facere, ſemel delatus non audietur.* Item §. 7. *Extraneus autem neqvaqvam lenocinium objiciens, poſteaquam reus factus eſt, ſe relevabit, nec maritum pœnæ ſubjiciet.* De adultera conceptus eſt §. 5. *Si publico judicio maritus uxorem ream faciat, an lenocinii allegatio repellat maritum ab accuſatione? & putem non repellere: lenocinium igitur mariti ipſum onerat, non mulierem excuſat.* Qvibus haud abſimilia verba 13. §. 5. *ff. d. t.* ejusdem Ulpiani: *Judex adulterii ante oculos habere debet, & inqvirere, an maritus pudice vivens, mulieri quoqve bonos mores colendi auctor fuerit? per iniqvum enim videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, qvam ipſe non exhibeat: qvæ res & poteſt virum damnare, non rem ob compenſationem mutui criminis inter utrosqve communicare.* Connexionem horum Ulpiani aſſertorum, qvæ ad idem fere recidunt, haud difficulter invenire poterimus, ſi modo hypotheſin ejus in *l.* 5. *ff. publ. judic.* perpendamus: *Si qvis reus factus eſt, purgare ſe debet, nec ante poteſt accuſare, qvam fuerit excuſatus, conſtitutionibus*

 enim

enim obſervatur, ut non relatione criminum, ſed innocentia reus purgetur. Non unus tamen hic ſe ſiſtit, qvi Ulpiano adverſam teneat, qvos etiam ordine recenſebimus. Primus eſt Scævola, qvi in *l. 47. ff. Sol. matrim.* ita nobis ſcriptum reliqvit: *Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur; cur enim improbet maritus mores, qvos ipſe aut ante corrupit aut poſtea probavit? Si tamen ex mente legis ſumet qvis, ut nec accuſare poſſit, qvi lenocinium uxori præbuerit, audiendus eſt.* Secundo prodit Papinianus, in *l. 39. ff. eod.* hunc in modum ſtatuens: *Viro atqve uxore mores invicem accuſantibus, cauſam repudii dediſſe utrumq; pronunciatum eſt. Id ait accipi debet, ut ea lege, qvam ambo contemſerunt, neuter vindicetur; paria enim delicta mutua penſatione diſſolvuntur.* Qvibus ſe aſſocians Julianus regulæ Ulpiani ſupra allegatæ aliam opponit *in l. 3. §. 3 ff. de eo, per qvem factum erit. Ab utraqve parte dolum compenſandum eſſe.*

§. 33. Diſſenſum hic aliqvem inter JCtos verſari, jam obſervarunt Interpretes, nec defuerunt qvoqve, qvi conciliare eosdem aggreſſi ſunt. Non difficile forte illud foret, ſi lectionem Haloandrinam accipere velimus, qvæ *in d. §. 4. l. 2.* negationem tollit, & legit: *Sed eſt hujusmodi compenſatio ad miſſa.* Verum hanc criſin non procedere ſatis teſtantur cæteri textus Ulpiani. Audiamus igitur reliqvos conciliatores. Ubi qvidem neutiqvam curabimus Accurſium, qvi teſte *Briſſonio all. ſæpius tract. p. 125.* in hujusmodi diſſolutione valde impetitus, inanes qvasdam differentias excogitavit, ex qvibus adeo parum ſalis colligendum erit. Gothofredus *in Not. ad d. l. 2. §. 4. h. t. lit. f.* conciliationem qværit in verbo DEL ATUS, qvod idem ipſi eſt, ac inter reos receptus, ut ſenſus ſit, ſi is, qvi adulterii à marito accuſetur, anteqvam inter reos recipiatur, allegat lenoci-

lenocinium, qvod tunc liberetur, & de hoc caſu loqvi diſſentientes; ſi vero jam receptus ſit, eum minime audiri. Qvam in rem allegat *l. 15. §. 7. h. t.* ejusdem Ulpiani: *Præſcriptiones* (i. exceptiones) *quæ objici ſolent accuſantius adulterii, ante ſolent tractari, qvam qvis inter reos recipiatur, cæterum poſtea qvam ſemel receptus eſt, non poteſt præſcriptionem objicere.* Verum hic non adducam, qvod incertum adhuc ſit, deqvo verbum *delatus* intellectum velit Ulpianus, an de reo adulterii, an vero de marito-ſcil. reum adulterii non amplius audiri, ſi ſemel ab eo maritus delatus ſit, nec etiam qvod delatus non idem ſignificet, ac inter reos receptus (hic dicitur, auctore *Aſconio in Verrin. cit. Briſſon. p. 101.* cum apud Prætorem legibus interrogatus, crimen negavit, accuſatoriqve à magiſtratu inqvirendorum criminum dies datus eſt; delatio nominis vero præcedebat, hunc in finem ut delatus inter reos reciperetur. vid. *Matth. de Crim. L. 48. t. 13. c. 6. n. 1.*) Hæc enim ob defectum accuratæ veteris proceſsus deſcriptionis (qvam in hac qvæſtione potisſimum deſideramus) prolixius diſcutere nobis prohibitum eſt. Statum controverſiæ ſaltem probe formabimus. Diffiteri non poſſumus, Ulpianum ipſum hanc diſtinctionem amplecti in *all. §. 7.* Sed ibi de extraneo loqvitur, & qvidem de inter reos jam recepto; ſi vero qværimus: An maritum lenocinii allegatio ab accuſatione uxoris repellat? Absqve diſtinctione reſpondet Ulpianus: *Et putem non repellere* licet dubitanter loqvatur, qvod diſſenſum aliquem ſubſuiſſe ſatis indicat) Contradicit quoqué generaliter Scævola: *Ut nec accuſare poſſit, qvi lenocinium uxori præbuerit*; adeoqve ne dubitaſſe qvidem de hoc videtur, ac ſi perficere accuſationem ſemel cœptam posſit; ſi enim non poteſt ab initio accuſare, multo minus ad finem accuſationem perducere; accedente ratione Papiniani, qvod paria delicta mutua penſatione diſſolvantur. Nec regulam Ulpiani ex *all. l. 15.* adductam perpetuam ſemper eſſe,

ipſe

terii a morum accuſatione. Illam publicum, hanc privatum eſſe judicium; & ideo hanc lenocinii allegatione quaſi compenſatione mutui criminis excludi, illam vero neutiquam. Nec obſtare adeo, quod Scævola verbo *accuſare* utatur, quod publicum forte delictum indicare posſit; nam & Papinianum de hoc morum judicio in *d.l. 39. Sol. matr.* idem uſurpare. Huc uſque Briſſonius. Enimvero, licet omnia, quæ hic de morum judicio afferuntur, recte ſeſe haberent, nondum tamen omnis obſtantia remota eſt. Loquitur enim Scævola de eo caſu, ſi maritus mores uxoris accuſet ob id, quod adulterium commiſerit. Jam ſi excipit uxor, nondum liquere ſe adulterium perpetraſſe, ante omnia vir neceſſe habebit accuſare illam adulterii, hocqve probatum dare. Ut fere exiſtimem, ſemper adulterii accuſationem, morum judicium præcedere debuiſſe, ſiquidem ob illud factum fuerit divortium. Hancque opinionem egregie adjuvat Papinianus *in l. 11. §. 3. ff. h. t. Socer cum nurum adulterii accuſaturum ſe libellis Præſidi datis teſtatus fuiſſet, maluit accuſatione deſiſtere, & lucrum ex doto magis petere: quæritur an hujusmodi commentum ejus admitti exiſtimes? Respondebit: Turpiſſimo exemplo it, qui nurum ſuam accuſare inſtituiſſet, poſtea deſiſtere maluit, contentus lucrum ex dote retinere, tanquam culpa mulieris diremto matrimonio: quare non inique repelletur, qvi commodum dotis vindictæ domus ſuæ præponere non erubuit* (conf. tamen Math. *d. tr. p. 390.* (Eſto jam, quod accuſatio de morum judicio etiam prædicetur, indagandum nobis ſaltem erit, de qua accuſatione hic ſermo ſit Scævolæ. Si enim talia ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe à ſuis ſubjectis, dic quæſo, cui accuſationi prædicatum lenocinii magis competat, num adulterii an morum? Mihi ſane videtur lenocinium ad adulterium ſe referre, cum illud ſit hujus adjuvatio, & ſi de accuſatione morum prædicari deberet, ſequeretur, quod nullus leno maritus de moribus adverſus uxorem agere poſſet, quod principiis juris maxime videtur eſſe inconveniens. conf. l. 8. C. *de Repudiis*.

§. 35. Qvid tandem igitur ſtatuemus? Non poſſumus ſane aliter, qvam qvod revera hic diſſenſum qvendam inter veteres JCtos verſatum eſſe conjiciamus. Qvorum tamen rationes earumqve æqvitatem jam examinare ſuperſedebimus, cum Scævolæ ſententiam ab Impp. confirmatam jam ſupra diximus. Diocletiani & Maximiniani *in l. 28. C. h. t.* hæc eſt ſanctio: *Ita nobis cordi pudor eſt, ut removeamus priſci juris ambages, & conſtituamus in adulterii qvæſtione, abolitis de medio cæteris præſcriptionibus, præter qvinqvennii temporis & lenocinii, qvod marito objicitur, exceptionem illam etiam qvæ poſt ſolutum prius matrimonium ante denunciationem competit, fidem criminis noſci,* &c. De cujus Conſtitutionis juſtitia eqvidem jam non diſputabo, ſed hic commune illud JCtorum axioma: Ita lex ſcripta eſt; optime locum inveniet. Non tamen diffitendum, omnes Ulpiani ſubtilitates & hypotheſes, qvibus diſtinxit, an qvis inter reos receptus ſit, nec ne; item: qvod non relatione criminum, ſed innocentia reus purgetur, per iſtam corruere. Hinc qvæſtione etiam carere poſſumus, qvam movet in *§. 6. d. l. 2. h. t.* hoc modo: *Unde qværi poteſt: An is, qvi de adulterio cognoſcit, ſtatuere in maritum ob lenocinium poſſit? & puto poſſe. Nam Claudius Gorgus vir clariſſimus, uxorem accuſans, cum detectus eſt, uxorem in adulterio deprehenſam retinuiſſe, & ſine accuſatore lenocinii damnatus eſt a Divo Severo.* Majori tamen jure qvis ſolicitus posſit eſſe de eo: Num compenſetur hic cum adulterio lenocinium, an vero maritus ut leno adhuc ſit puniendus? & affirmandum omnino putem poſterius, cum nullam rationem, qvæ maritum abſolvat, perſpicere qveam.

§. 36. Porro mulieri datur exceptio lenocinii, qvæ opponi poteſt marito, ſi accuſationem ſemel inſtitutam deſeruit, & hoc ipſo lenocinium commiſit, ad hoc, ut liberetur mulier ab accuſatore. Proponit illam Ulpianus *in l. 2. §. 1. ff. h. t. Marito jure mariti accuſanti, illa præſcriptio objicitur: Si legem prodidiſſe dicatur ob hoc, qvod aggreſſus accuſationem adulterii deſtitit;* cum

qvo

qvo hac in parte amice conſpirat Paulus in *l.* 40. *h. t.* (vid. ſupr. §. 10.) illi enim deſtitiſſe & lenocinium commiſiſſe unum idemqve ſunt. Qvod hodie poſt *d. l.* 28. minus habebit dubii, qva ſemper exceptio lenocinii marito adulterii accuſanti opponi poteſt.

§. 37. Qvoad ordinem accuſandi illud etiam obſervatum eſſe annotamus, lenonis mariti accuſationem ſemper præcedere debuiſſe accuſationem adulteræ, ſiqvidem in eodem matrimonio adhuc perſeveret. Idqve corroborat Ulpianus in *l. 26. ff. h. t.* vid. §. 20. Idem ſentit Papinianus in *l. 11. §. 10. ff. h. t.* *Volenti mihi ream adulterii poſtulare eamqvæ poſt incommiſſum adulterium in eodem matrimonio perſeveravit, contradictum eſt. Quæro, an juſte reſponſum ſit? Reſpondit, ignorare non debuiſti, durante eo matrimonio, in quo adulterium dicitur eſſe commiſſum, non poſſe mulierem adulterii ream fieri: ſed nec adulterum interim accuſari poſſe.* At his ultimis verbis contrarium videtur idem alio loco poſuiſſe, nempe in *l. 39. § 1. eod. Nupta quoqve muliere, tametſi lenocinii vir prior non poſtuletur, adulterii crimen contra adulterum ab extraneo poterit inferri.* Verum non præſumendum, JCtum ſibi ipſi repugnare voluiſſe. Quapropter commode explicari poterit de eo matrimonio, qvod mulier dimiſſa à priore marito, cum alio poſtea iniit; hoc enim durante recte accuſabitur adulter, licet prior maritus lenocinii non poſtuletur. conf. *Briſſon. d. l. p. 83. ſeq.* An vero hac ſubtilitate etiam hodie indigeamus, valde dubito, cum ex *Nov. 117. C. 8. & Auth. Sed novo jure C. h. t.* certum ſit, virum etiam durante matrimonio uxorem adulterii accuſare poſſe; hic vero omnibus aliis in accuſando præfertur, qvem ſeqvuntur proximæ neceſſariæqve perſonæ; extranei vero procul ab accuſatione arcentur, per *l. 30. C. h. t.* Deniqve & hoc notabile ſubjicimus circa cumulationem accuſationis lenocinii cum adulterio. Si enim olim qvis adulterii mulierem accuſare volebat, præter alias circumſtantias ſimul domum illius, in qva adulterium commiſſum, nominare debe-

bat; & ita ſemper leno ſimul deferebatur. vid. *l. 3. pr. de Accuſ. & inſcript.* ubi in §. 3. Paulus ulterius illa declarat: *S. d & ſi aliud crimen objiciat: veluti, quod domum ſuam præbuit, ut ſtuprum materfamilias pateretur, quod adulterum deprehenſum dimiſerit, quod pretium pro comperto ſtupro acceperit*: & ſi qvid ſimile idipſum libellis comprehendendum erit. Cujus rei noſtris temporibus exiguum quoque uſum ſupreſſe res ipſa loquitur. Illud tamen exinde colligimus quod hæc lenocinii ex L. Julia deſcendens accuſatio, æque ac adulterii publica ſit. conf. *Briſſ. p. 111. d. Tr. n.*

§. 38. Et ita pedetentim ad pœnam ſumus delapſi, quæ accuſationem lenocini comitari debet. Quod ſi vero inquiramus in varios variarum Gentium mores, quidam nulla pœna illud dignum eſſe judicarunt, quin potius inter permiſſas ac laudabiles res retulerint. conf. *ſupr.* §. 24. Modo enim coercendo populo & præcavendæ rebellioni fuit adhibitum, ſicut Cyrus Lydis rebellibus victis arma & equos ademit, jusſitque cauponas & ludicras artes *& lenocinia exercere*, qvo facto etiam gens induſtria qvondam potens & manu ſtrenua, effœminata mollitie luxuriaqve virtutem priſtinam perdidit, & qvos ante Cyrum invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperavit; qvæ verba ſunt Juſtini Lib. 1. Cap. 7. ʃʃ. 11-14. Modo tanqvam remedium contra inopiam uſurpatum, quemadmodum apud Babylonios, teſte *Herodoto*, conſvetudo fuit, ut qvi rem domeſticam conſumſiſſent, filias ſuas adigerent, ad qvæſtum corpore faciendum (ut ex Herodoto refert *Henr. Corn. Agrippa de Vanitate ſcient. Cap. 63. p. 121.*) apud qvos etiam liberos conjugesqve cum hoſpitibus ſtupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes maritiqve patiebantur, *Curt. L. 5. c. 1. ʃ. 37.* Et hanc conſvetudinem communiter tunc gentibus freqventatam fuiſſe demonſtrat locus qvidam *Tertulliani in Apolog. Cap. 39.* relatus à *Menag. Amœn. J. Civ. Cap. 10 p. 57.* Sic, *Strabo lib. 11.* de Tapyris tradit, apud eos etiam lege ſive conſvetudine receptum

ptum fuiſſe, ut uxores ſuas viris aliis elocarent, poſtqvam ipſi ex iis duos tresve ſuſtuliſſent liberos; *Idem d. l.* Modo inter liberales profesſiones, imo & ſacras habitum fuit apud Armenios, Lydos, Augilas, Sicas, Locrenſes aliosqve vid. *Hoffmann. Lex. Univ. Contin. voc. Leno.*

§. 39. Populum vero Romanum ante omnes hic reſpicere juvabit, apud qvem permisſio & prohibitio lenocinii pro variatione temporum & ipſa variavit. Tametſi enim apud Comicos hinc inde varias execrationes, qvibus vulgus lenones proſeqvutum eſt, deprehendamus, indeqve ſua ſponte fluat, maximo eos odio habitos & infamia qvadam facti fuiſſe notatos; illud tamen potius ſordidæ eorum profesſioni ac intolerabili avaritiæ, qvam legis prohibitioni imputandum cenſemus. Nam antiqvis temporibus permiſſum fuiſſe lenocinium, plura Comicorum teſtimonia hinc inde teſtantur, ex qvibus tantum unicum *Plauti* (*ex Curcul. Act. 1. ſcen. 1. v. 27. ſeqq.*) adduco, ubi Phæd. inqvit: Qvin leno hic habitat? Pal. Nemo hic prohibet nec vetat, qvin qvod *palam eſt venale*, ſi argentum eſt emas. Nemo ire qvenqvam *publica prohibet via.* Ut adeo veroſimile ſit, Romanos hac in parte Græcorum leges haud fuiſſe ſeqvutos; de Solone enim Æſchines refert, eum lenocinium morte multaſſe. *Gothofred. in Not. ad l. 43. §. 6. ff. de R. N. lit. X. conf. Briſſ. p. 7 ſeq.* Qvanqvam Menagius *Amœn. J. Civ. Cap. 10. p. 59.* ex Plutarcho refert, Lacedæmoniorum legibus conceſſum fuiſſe maritis, uxores ſuas aliis commodare. Et licet Plautus rogationem ſive tribunitiarum legum lenonum gratia factarum mentionem injiciat, ex eodem tamen conſtat, Parum efficaciæ illas habuiſſe. Ita enim *d. l. Act. 4. Sc. 2.* Rogationes "plurimas propter vos (nempe lenones) populus ſcivit, qvas "vos rogatas rumpitis: aliqvam reperitis rimam. Qvaſi a"qvam ferventem frigidam eſſe, ita vos putatis leges.

§. 40. Nec vetita olim apud Romanos maritorum lenocinia fuiſſe, varia nobis perſvadent. Illis enim uſitatum e-

rat, uxorem alteri velut commodare, ut ex ea liberos tolleret, eamque ſi vellet, iterum recipere, qvemadmodum ex Plutarcho adducit Puffendorff. *Lib. 6. C. 1. §. 15. p. 858.* In cujus rei fidem utplurimum allegant exemplum Socratis & Catonis minoris ſive Uticenſis Martiam ſuam Q. Hortenſio commodantis. Merentur hic adſcribi verba Tertulliani in Apologetico: „Omnia „indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo con-„ſortium ſolvimus, in qvo ſolo cæteri homines conſortium „exercent, qvi non amicorum ſolummodo matrimonia uſur-„pant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant: ex illa, „credo, majorum & ſapientiſſimorum diſciplina, Græci Socra-„tis & Romani Catonis, qvi uxores ſuas amicis communicave-„runt, qvas in matrimonium duxerant, liberorum cauſa & a-„libi creandorum, neſcio qvidem an invitas, qvid enim de ca-„ſtitate curarent, qvam mariti tam facile donaverant? O ſa-„pientiæ Atticæ, ô Romanæ gravitatis exemplum! Lenones, „Philoſophus & Cenſor. Hæc ille. Qvæ ideo hic prolixius adjicienda putavimus, qvod exinde haud præſumendum ſit, legibus prohibentibus tam ſapientes & ſpectatos viros uxores ſuas amicis communicaſſe. Nihilominus tamen hiſce teſtimoniis haud obſtantibus, de eo addubitare vult *Bodinus Cap. 4. Method. Hiſt.* cum morem eum non tulerit ſeveritas Romanorum. Sed omnino tulit, ſi rationem illorum, licet erroneam aſpiciamus. Prætérqvam enim qvod putaverint, amicorum omnia debere eſſe communia, interqve illa uxores qvoqve comprehenderint; illud etiam natura pulchrum & civile, licet hominum opinione novum ſtatuebant, mulierem in ætatis flore non vacare, vel fœcunditatem extingvere, nec majore, qvam neceſſe erat, progenita ſobole onerare, & obruere domum non reqvirentem: communicationem autem inter probatos viros, invicem mulierum tum virtutem prorogare & dilatare ſtirpibus, tum civitatem, mutuis neceſſitudinibus, conglutinare. Quæ verba *Plutarchi in Catone* recenſet *Menag. d. l. p. 58. ſeqq.* ubi

etiam

etiam plura de hac re habet, qvem omnino vide. Id qvod procul dubio à Lycurgo hauſerunt, qvi non ex turmalibus, ſed ex præſtantisſimis generari cives voluit, ut apparet ex loco Plutarchi all. *a Pufendorff. ibid. p. 858.* Et hinc ſupra ab Ulpiano *in l. 29. §. 4. ff. h. t.* didicimus, extra legem poſitum eſſe maritum, qvi patiatur uxorem delinqvere non ob qvæſtum, ſed negligentiam, vel culpam, vel qvandam patientiam, vel nimiam credulitatem. Qvanqvam illud poſtea mutatum eſſe infra audituri ſimus. Qvod vero Bodinum attinet, judicium Menagii *d. l. p. 61.* & hic noſtrum facimus: Ego vero & Straboni, & Plutarcho, & Appiano, qvam Bodino in Antiqvitatibus Romanis potiorem habeo fidem.

§. 41. Ut vero propius ad ſcopum noſtrum accedamus noviori tempore diſtinctio nobis ſuccurret inter lenocinium vulgare & eminens. Illud olim à Prætore infamia fuiſſe notatum, ſuperius aliqvoties diximus. Verba enim Prætoris teſtante Juliano in *l. 1. ff. de his, qvi not. inf.* inter alia etiam hæc fuerunt: *Infamia notatur, qvi lenocinium fecerit.* vid. ſupr. §. 2. Et referente Ulpiano *in l. 4. §. 3. eod. Pomponius & eum, qvi in ſervitute peculiaria mancipia proſtituta habuit, notari poſt libertatem ait.* Eqvidem latior hic nobis diſcurrendi campus ſe aperiret qvid ſit infamia, & qvi in jure ejus potisſimi ſint effectus; ſed cum jam à tot Juris interpretibus actum agere nolimus, merito ad illos remittimus. Nonnulla tamen, qvæ & ipſi JCti de lenocinio annotarunt, intacta haud relinqvemus, Propter infamiam enim lena ab ingenuo non poterat olim duci in matrimonium, vel qvæ à lenone lenave manumiſſa erat. Qvæ jam ita diſpoſuit Lex Julia de maritandis ordinibus, cujus fragmenta *à Jac. Gothofredo in Fontib. 4. Jur. Civ.* ex antiqvitate eruta *p. m. 27.* hæc ſunt: *At ne cui ingenuo lena, a lenone lenave manumiſſa, aut judicio publico damnata, aut in adulterio deprehenſa, & qvæve artem ludicram facit fecerit, ſponſa nuptaqve ſciens dolo malo eſto.* Qvod tamen à JCtis poſtea ad Senatores ſaltem reſtrictum eſt.

vid.

Digitized by Google

vid. *l.* 43. & 44. *ff. de. P. N. J.* Gothofr. *in. Not. ad. all. fragim.* Porro ex hac lenonum infamia profluxit, quod impune a marito occidi potuerit in adulterio uxoris ſuæ deprehenſus domi ſuæ adulter, *qui leno fuerit, &c.* quem cum aliis expreſse nominat Macer *in l. 24. ff. ad L. Jul. de Adult.* quam ſupra §. 14. adduximus. Indeque ulterius deducit idem *in d. l. §. 7.* eum, qui leno ſit, jus occidendi adulterum deprehenſum minime habere. ex ea ratione, quia ignominioſis & famoſis non competat. *Illud* inquit, *in utroq; ex ſententia legis quæritur, an patri magiſtratum occidere liceat? item ſi filia ignominioſa ſit, aut uxor contra leges nupta, an id jus nihilominus pater maritusve habeat? Et rectius dicetur, eos jus occidendi habere, qui jure patris maritive accuſare poſſunt.* Neſcio veo, num ad effectus hujus lenonum infamiæ referendum ſit, qeod inter antiqvas filium abdicandi cauſas hæc qvoqve fuerit, *ſi lenones pulſaſſet.* Ilud enim ad privilegium potius eorum ſpectare perſvadet tum Terentii locus, *Adelph. Act. 2. Sc. 4. v. 17. ſeqq.* tum etiam conſideratio cæterarum abdicationis cauſarum, e. g. ſi filius noctu foris cubuiſſet, ſi commeſſatus fuerit, ſi libidini incubuiſſet; qvæ omnia pro vitiis reputata ſunt, adeoqve & piaculum fuit, ſi lenonem pulſaſſet. Sed de his non adeo erimus ſolliciti, cum jam ante Juſtinianum hæc abdicatio à Diocletiano & Maximiano *in l. 6. C. de Patr. pot.* fuerit abrogata, teſtantibus, eam Græco more uſurpatam Romanis legibus haud comprobari. Varias præterea operationes illi lenonum infamiæ aſſignare ſolent DD. qvod teſtimonium ferre non valeant. conf. *Beſold. Theſ. Pract. voce* Huren-Wirth, *p. m. 399. & ibi alleg.* qvod ad nullum officium ſeu honores admittantur, in nullum collegium recipiantur, à juramenti delatione arceantur, & ſimiles; Non tamen puto errabimus, ſi contrarium hodie fere obtinere dixerimus; cum in vulgus notum ſit, non tantum alios honeſtos cum iis, qvos Prætor infamia notavit, converſari, ſed & exempla in Collegia receptorum extare, ut

Digitized by Google

adeo titulus *de his, qui not. inf.* noſtris moribus parum utilitatis ſit allatarus.

§. 42. Eminens qvod concernit lenocinium, ſupra pasſim adducti textus teſtantur, nullam aliam qvam adulterii pœnam in illud fuiſſe conſtitutum Ita Ulpianus *in l. 2. ſ. 2 h. t. Lenocinii crimen Lege Julia de adulteriis præſcriptum eſſe, cum ſit in eum maritum pœna ſtatuta*, & c.& *ſ. 3. maritum non lenonem pœna adulterum non infligi dicit*. Sic in *l. 37. ſ. 1. de Minor. 25. ann.* Thryphoninus omnes fere lenocinii eminentis ſpecies complectitur, & pro adulterio easdem legem Juliam punire affirmat. *conf. l. 8. 14. 29. ff. h. t. l. 3. § 5. de Accuſat. l. 8. ff. Quod met. cauſ.* Qvæ vero fuerit adulterii pœna ex L. Julia, prolixius diſcutere ſupervacuum erit, cum in illa re jam deſudarint tot JCti magni nominis, qvos allegat *Struv. Ex. 49. th. 32.* Omnium ſententiæ eo collimant, ordinariam adulterii pœnam fuiſſe relegationem. Idqve confirmant non ſolum teſtimonia & exempla Hiſtoricorum ab Auctoribus a Struv. citatis (inter qvos præprimis inſpici meretur *Briſſonius all. tr. p. 34. ſeqq.*) adducta, ſed & verba *pauli Libr. II. ſent. tit. 37. Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis & tertia parte bonorum ac relegatione in inſulam placuit coërceri; adulteris vero viris pari in inſulam relegatione, dimidiā bonorum partem auferri, dummodo in diverſas inſulas relegentur.* Non eſt igitur, ut levem hanc adulterii pœnam cum *Cujac. in paratit. h. ad tit ff. ad L. Jul. de Adult.* putemus. varias enim qverelas propterea hinc inde apud ſcriptores invenire licet, quæ non ſoli relegationi adſcribendæ, ſed aliis adjunctis incommoditatibus illam comitantibus. Nam præter dictam dotis & bonorum partem ea lege damnatæ mulieres jus aliis nubendi & teſtimonium dicendi amittebant; matronali veſte depoſita togam induere cogebantur, qvo a matronis diſcernerentur, &c. qvæ latius exſeqvitur *Briſſon. d. l. p. 40. ſeqq.* Verum, inquies, non ſola relegatio fuit, propter quam atrocem Legis Juliæ pœnam putarunt Romani; multo namqve ſeverius in lenones & adul-

H teros

Digitized by Google

teros animadverſum eſſe reperies. Ita in *l. 11. pr. ff. h. t.* Papinianus vult, qvod miles, qvi cum adultero uxoris ſuæ pactus eſt ſolvi ſacramento *deportari qve debeat.* Ita Paulus *in l. 1 ff. §. 2. ff. de Extraord. Crim. Qvi puero ſtuprum, abducto ab eo vel corrupto comite perſvaſerit, aut mulierem puerumve interpellaverit, qvidve impudicitiæ gratia fecerit, donum* (vulg. legit. domum, *Gothofr. hic lit. b.*) *præbuerit, pretiumve, qvo is perſuadeat, dederit, perfecto flagitio punitur capite, imperfecto in inſulam deportatur: corrupti comites ſummo ſupplicio afficiuntur.* Sed circa priorem textum jam notavit *Briſſ. p. 38. ſeq.* L. Jul. pœnam in militibus, qvos ab omni libidine puros ſervari caſtrorum diſplina poſtulat, eſſe exaſperatam, idque probat tum exemplis, tum *l. §. 3. de his, qvi not. 2. inf. l. 4. §. 7. de re milit. conf. l. 7. ff. 4. ad L. J. Maj. Cujac. L. 20. Obſ. 18. l. 6. Obſ. 11.* In poſteriori Paulo ſermo eſt de Crimine Extraordinario, cujus improbitatem circumſtantiæ aggravant, hincqve merito capitis pœna in illud fuit animadverſum. vid *Matth. h. tit. p. 411. n. 8. Wiſſenb. ad ff. eod. t. th. 19.* Non diffitendum itaque eſt, interdum motu Principis, vel alia juſta de cauſa adulteros & lenones gravius relegatione, imo & capitaliter punitos eſſe, regularem tamen L. Jul. pœnam relegationem fuiſſe certum eſt. Vix igitur ignorantiæ Triboniani condonandum videtur, qvod L. Juliæ capitalem pœnam paſſim adſcribere non erubuerit *l. 18. C. de Tranſact. l. 9. C. h. t. §. 4. l. de Publ. Judic.* Qvæ emblemata jam notarunt JCti ſummi: *Briſſon. p. 40. Wiſſemb. d. l.* Ut adeo ejus excuſationem fruſtra ſuſceperit *Cujac. d. l. 20. Obſ. 18. & L. 19. Cap. penult.*

§. 43. Succeſſu temporis tam vulgaris, qvam eminentis lenocinii pœna varie à variis aucta fuit. Videtur autem ad utrumqve ſpectare, qvod Conſtantinus in *l. 1. C. Theod. de Rapt. Virg.* conſtituit, ubi lenonibus liqventi plumbo meatus oris & faucium, ut nefariorum hortatoribus, claudi juſſit. Poſtea Theodoſius junior & Valentinianus peculiari Novella in eos adverterunt, qvam ex *Append. Cod. Theod. §. 22.* exhibuimus, &

devul-

devulgaribus eam loqvi lenonibus, adſtruximus. Huc ſaltem clauſulam pœnalem repetemus, qva ſanxerunt Impp. ut ſi qvis poſthac mancipia tam aliena, qvam propria, aut ingenua corpora qvælibet taxatione conducta proſtituere ſacrilegii temeritate tentaverit, in libertatem prius miſerrimis mancipiis vindicatis, vel ingenuis perſonis conductione impia liberatis, graviſſime verberatus hujus urbis finibus, in qva vetitum nefas crediderit exercendum, ad exemplum omnium emendationemqve pellatur. Qvos ſecutus Juſtinianus totam *Nov.* 14. eorum qvoqve gratia emiſit, qvam de vulgaribus lenonibus præprimis conceptam eſſe §. 23. oſtendimus. Hic tantum de pœna potiſſima oritur controverſia, qvænam ibi in lenones ſit ſtatuta. Subjiciamus ante omnia ipſa Juſtiniani verba: *Lenones*, inqvit, *jubemus extra hanc fieri feliciſſimam civitatem, tanqvam peſtiferos, & communes caſtitatis vaſtatores factos, & liberas ancillasqve reqvirentes, & deducentes ad hujusmodi neceſſitatem, & decipientes & habentes educatas ad univerſam confuſionem. Præconizamus itaqve, qvia ſiqvis de cætero præſumſerit invitam puellam aſſumere, & habere ad neceſſitatem nutritam, & fornicationis ſibi deferentem qvæſtum: hunc neceſſe a ſpectabilibus Prætoribus populi hujus feliciſſimæ Civitatis comprehenſum,* **omnia noviſſima ſuſtinere ſupplicia**, *Si enim pecuniariorum nos furtorum & latrociniorum emendatores elegimus: qvomodo non multo magis caſtitatis furtum & latrocinium eos coercere permittimus. Si qvis autem conſcriptionem de cætero in talibus præſumſerit, aut fidejuſſorem acceperit: ſciat nullam qvidem ſe utilitatem hujusmodi fidejuſſionis & conſcriptionis habere; etenim fidejuſſor qvidem obligatus non erit, conſcriptio vero omnino invalida manebit, & ipſe (ſicut prædiximus) in corpore ſupplicium ſuſtinebit: & e magna hac longiſſime civitate expelletur.* Qvid igitur per noviſſima ſupplicia hic intelligit Juſtinianus? Si In-

terpre-

terpretes & Dd. conſulamus, uno ore reſpondent, mortem hic ſtatui in lenones. Ita *Farinac. P. 5. Qu. 144. n 9.* De Jure autem Avthenticorum, ait, expreſse videtur ſtatuta pœna ultimi ſuplicii, prout eſt textus *in Avth. de Lenon. §. Præconizamus.* Ubi bona redditur ratio; nam ſi talis pœna imponitur furibus & latronibus pecuniarum & bonorum, multo magis illa imponi debet furibus & latronibus caſtitatis, &c. qvem ſeqvuntur *Matth. p. 386. n. 11. & Claſſen ad Art. 122. Conſt. Crim. p. m. 502.* Nec ratione ipſorum ſententia deſtituitur. Novisſima enim ſupplicia idem hic ſunt ac ultima atqve extrema. Ultimum ſupplicium vero eſſe mortem ſolam interpretamur, ait Celſus in *l. 21. ff. de Pœnis.* Bene omnino hæcce ſe haberent, niſi graviter obſtarent verba mox poſita: Et ipſe (ſcil. leno) (*ſicut prædiximus*) in corpore ſupplicium ſuſtinebit: & e magna hac longisſime civitate expelletur. Verum, dic qvæſo, num qvis capitali pœna affectus civitate expelli poteſt? Sane hæc verba ſatis explicant mentem Juſtiniani, qvod per novisſima ſupplicia, de qvibus antea loqvutus eſt mortis pœnam denotare haud voluerit. Hinc recte annotat *Gothofredus h. t. lit. c.* Lenones morte naturali non fuiſſe affectos hic locus oſtendit; aliud eſt enim puniri in corpore, & mox civitate expelli, aliud ipſa re ſeparationem corporis ab anima perferre vel pati (qvi tamen ſibi ipſi contrarius eſt, dum in antecedentibus *lit. d.* dixerat, qvod morte hac Conſtitutione puniri jubeantur lenones) Qvo faciunt qvoqve verba: *lenones jubemus extra hanc fieri feliciſſimam civitatem?* qvæ tantum eorum exilium arguere videntur. Num vero probabile eſt, Juſtinianum, qvi maxime lenonibus infenſum hicce ſe ſiſtit, & ſupplicia eorum auxiſſe profitetur, corporis ſolum coercitione & exilio puniviſſe? Neutiqvam videtur. Qvomodo ergo mentem ejus divinabimus?

§. 44. Si, qvod ſentimus, dicere debemus, diſtinctionem fecit Juſtinianus inter lenones, & pro diverſitate ipſorum

& di-

Digitized by Google

& diverſam iis applicavit pœnam. Separatam enim illorum cauſam conſtituit, qvorum tanta malitia eſt, ut invitas puellas aſſumſerint, & habuerint ad neceſſitatem peccandi nutritas, & fornicationis ſibi deferentes qvæſtum, qvos plenius in antecedentibus deſcripſerat, qvi juxta ſanctiſsima loca & venerabiles domos impietatem exercebant, qvi ad legitimum deducere matrimonium meretrices non ſinebant, qvi puellas nec decimum agentes annum ad periculoſam corruptionem deponebant, &c. Hos furibus ac latronibus comparat, in hos noviſsima ſupplicia *i. e.* capitalia ob circum-ſtantias delictum ipſorum aggravantes ſanxit. Ab illis vero ſecernit per particulam adverſativam *autem* ejusmodi lenones, qvi conſcriptionem ſumſerint, vel fidejuſſores acceperint à proſtibulis, qvod uſqve ad tempus, qvod iis placuerit, impiam & ſceleſtam hanc functionem obſervare vellent. Omni enim utilitate & validitate hujusmodi fidejusſionis & conſcriptionis ſublata, ac fidejuſſore ab obligatione abſoluto, lenonibus corporis coercitionem & exilium dictitar. Qvo autem ſpectat illud: *Ut prædiximus*, inſtabis. Ex illa difficultate nos optime expediet principium hujus Novellæ hunc in modum conceptum: *Et antiqvis legibus & dudum imperantibus ſatis odibile viſum eſt eſſe lenonium nomen & cauſam, in tantum, ut etiam plurimæ contra talia delinqventes ſcriberentur leges. Non enim & dudum poſita contra eos, qvi ſic impie agunt, ſupplicia auximus: & ſi qvid relictum eſt a noſtris prædeceſſoribus, etiam hac per alias correximus leges, &c.* Commode itaqve hæc aucta ſupplicia intelligi poterunt; qvæ vero fuerint illa, qvæqve leges aliæ hic allegatæ, definire nobis integrum non eſt, cum nec volam nec veſtigium de iis deprehendamus, ni ſi forte ad Conſtantini & Theodoſii (qvi eandem pœnam, qvam hic Juſtinianus in lenones conſtituit, ſcil. ut gravisſime verberati urbis finibus pellantur. *vid.* §. *præced.*) Conſtitutiones antea adductas, vel ad *Nov.* 134. *c.* 10. reſpexerit Juſtinianus, qvæ nullam habet ſubſcriptio-

H 3 nem

Digitized by Google

nem & forte ante hanc emiſſa eſt (qvod tamen non putat *Gothofred. in Not. lit. d.* ubi qvod Anno 541. *Nov. 14.* vero Anno 535.) de qva mox; vel ad *l. 7. C. de Spectac. & lenon.* qvam reſtituit Cujac. *ex 60. Baſilic. tit. 28.* hunc in modum: *Ne qvis deinceps lenocinium exerceat*, & nullus reditus inde largitionibus inferatur, nullus ancillam ingenuamve proſtituat; *alioqvin humilior, qvi id fecerit, coercitus, metalli & exilii pœna damnabitur: honeſtior bona & militiam & dignitatem amittet.* His qvoqve abſtineant thymelici. Qvod ſi ancilla proſtituta ſit, ut gratuito vindicetur ab omnibus viris aut fœminis, clericis aut monachis. Et uti hæc obſervant magiſtratus tam minores, qvam majores & officia eorum corporis, & 20. librarum imminente pœna. Conf, *l. ult. C. ad L. I. de Adult.* ab eodem Cujac. reſtit. de qva paulo poſt. Cui vero hæc reſponſio non placet, ille agnoſcat minus accuratam Triboniani loqvendi rationem neceſſe eſt.

§. 45. Inter lenones vero hoc modo diſtinctos Juſtinianus in medio poſuit illum, qvi domum ſuam lenoni locaſſet, eiqve 10. librarum auri pœnam impoſuit. Verba ipſius in dict. *Nov. 14.* hæc ſunt. *Si qvis autem patiatur in ſua domo qvendam lenonem & hujusmodi præpoſitum operationis habere, & hac denunciata cognoſcens, non etiam domo ſua expulerit, ſciat ſe 10. librarum auri ſuſtinere pœnam, & circa ipſam periclitaturum habitationem.* Nimirum, ut jam ſupra deduximus, ejusdem cum delinqventibus conditionis receptatores habendi ſunt *t. t. ff. de Receptat.* Hinc qvoqve aleatorum ſuſceptorem verberare impune licuit, eiqve damnum dare & res auferre *l. 1. §. 2. ff. de Aleatorib.* Summo itaqve jure etiam Imperator hic in lenonum ſuſceptores animadvertit, ut & illi non habeant locum, qvo ſubſiſtere poſſent. Qvod ſi igitur ad locatorem notitia, inqvilinum lenocinium exercere, pervenerit, in tempore illum expellere oportebit, qvo à pœna ſe liberet, ſi tamen reſiſtat ille, magiſtratus auxilium erit implorandum. Exinde concludunt qvoqve communiter, multo minus eum ad conductionem ab initio admittendum

eſſe

eſſe, ſi locator eum lenonem eſſe docere qveat; cum turpius ejiciatur, qvam non admittatur hoſpes; illud ipſum tamen difficilis hodie probationis fore reor. Deniqve huc repetenda ex §. 23. eſt pœna eorum, qui in fraudem *Nov.* 14. jusjurandum à mulieribus exigebant, qvod nunqvam ab impia illa & turpi operatione ceſſare vellent; nimirum annullatio jurisjurandi, & 10. libræ auri mulieri applicandæ. *Nov.* 51.

§. 46. Lenocinium ancillarum & liberorum qvod concernit, illius pœnam ſupra aliqvoties, §. 20. & 26. obiter attigimus. In Chriſtianarum ancillarum lenones Imperator Conſtantius peculiarem emiſit Conſtitutionem, ut eſt inſcriptio *l. 1. C. Theod. de Lenonib.* ne ſcilicet alius, qvam Eccleſiaſticus aut optimæ notæ Chriſtianus ab eo emere poſſit. *Si qvis fœminas*, ait, *quæ ſe dedicaſſe venerationi Chriſtianæ legis ſanctiſſimæ dignoſcuntur, ludibriis quibusdam ſubjicere voluerit, ac lupanaribus venditas faciat vile miniſterium proſtituti pudoris explere, nemo alter easdem coemendi habeat facultatem, niſi aut hi, qvi Eccleſiaſtici eſſe noſcuntur, aut Chriſtiani homines demonſtrantur, competenti pretio perſoluto.* Ubi qvidem nulla pœna in lenones reperitur ſtatuta; ſed tantum proſpicitur, ne forte fraus concurrat, & alius ſceleratus ad ſimilia flagitia hujusmodi mancipia comparet. Impp. vero Theodoſius & Valentinianus in lenones patres & dominos hanc conſtituerunt pœnam, ut filiæ & ancillæ ab ipſorum poteſtate Epiſcoporum auxilio liberentur; illi vero omni jure in eas amiſſo nihil amplius per eas acquirant; quod ſi vero ulterius ad ſcelus illud cogere eas perexerint, inſuper exilio puniantur. Conſtitutio illa eſt in *l. 6. C. de Spectac. & lenon. lib. 11* qvæ & reperitur in *l. 2. C. Theod. eod.* (cujus pars qvoqve eſt ſupra alleg. *l. 12. C. de Epiſc. aud.*) *Lenones patres & dominos, qui ſuis filiabus vel ancillis peccandi neceſſitatem imponunt: nec jure frui dominii, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet eos indignatione ſubducere, ne poteſtatis jure frui valeant, neve qvid eis ita poſſit acqviri; ſed ancillis filiabuſqve, ſi velint, conductiſve pro*

pauper-

paupertate perſonis, quas ſors damnavit humilior, Epiſcoporum liceat judicum etiam defenſorum qve implorato ſuffragio, omni miſerarum neceſſitate abſolvi: ita ut ſi inſiſtendum eis lenones eſſe crediderint vel peccandi ingerant neceſſitatem invitis, amittant non ſolum eam, qvam habuerint, poteſtatem, ſed proſcripti pœnæ mancipentur exilii metallis addicendi publicis: qva minor pœna eſt, qvam ſi præcepto lenonis cogatur quiſpiam coitionis ſordes ferre, qvas nolit. Qvid vero per exilium intelligi velint, evidentius paulo iidem Imperatores poſuiſſe videntur in *Nov. ſua* ſupr. §. 22 & 43. adducta, ut ſcil. leno ejuſmodi gravisſime verberatus ejus urbis finibus, in qva vetitum nefas crediderit exercendum, ad exemplum omnium emendationem qve pellatur. Hinc jam olim Imperator Alexander diſpoſuit, ſi ancilla ita venierit, ut ſi proſtituta fuiſſet, abducendi poteſtas eſſet venditori, hoc facto eam propria auctoritate abduci ab illo poſſe. Qvod ſi vero ex poſt facto in proſtitutionem ancillæ conſenſerit prior dominus, eo caſu libertatem acquirat miſera ancilla, dominus vero jus injectionis manus amittat. vid. *l. 1. & 2. C. Si mancip. ita venierit, ne proſtit.* conf. *l. 7. ff. qvi ſine manum.* Ex eodem argumento laudandi qvoqve veniunt Impp. Diocletianus & Maximinianus, qvi cujusdam mulieris nequitia permoveri ſe pasſi ſunt, qvæ puellam ab hoſtibus captam redemerat, ac poſtea proſtituerat: hanc quippe lenam ob odium deteſtabilis quæſtus, pretium redemtionis recipere indignam declararunt in *l. 7. C. de poſtliminio reverſis.* Similiter ex hoc proſtitutionis ancillaris odio originem traxit, qvod creditor pignus proſtitutæ à ſe ancillæ amiſerit. Ita enim Ulpianus in *l. 24. §. fin. ff. de pign. act. In pigneratitio,* inquit, *venit & ſi res pignori datas male tractavit creditor vel ſervos debilitavit. Plane ſi qvis pro maleficiis ſuis coercuit. vel vinxit, vel obtulit Præfecturæ, vel Præſidii: dicendum eſt, pigneratitia creditorem non teneri; qvare ſi proſtituit ancillam, vel aliud improbatum facere coegit, illico pignus ancillæ ſolvitur.* Qvæ tamen hactenus de pœna lenonum dominorum, qvæ in amiſſione jurium

conſi-

conſiſtit, recenſuimus, hodiernis moribus, ob ceſſans apud nos jus ſervitutis, parum habebit uſus.

§. 47. Tranſeundum nunc nobis ad pœnam lenocinii Conjugum. Ubi initio notandum venit, fœdum iſtum morem commodandarum uxorum, de qvo §. 40. injecimus mentionem, legibus Romanis eſſe abrogatum, & maritum, qvi talem ignominiam patiebatur, verberatum relegatumqve eſſe; qvod conſtat ex Ecloga *Baſilicorum Tit. 60. Cap. 28.* alleg. *Menag. Amœn. Jur. Civ. Cap. 10. p. 59. ſeqq.* Verba hæc ſunt: *Quod ſi eam* (uxorem maritus) *delinqvere patiatur, non ob qvæſtum, ſed negligentiam, vel incuriam, vel patientiam, vel ſævitiam* (ſecus ac Ulpianus in *l. 29. §. 4. ff. h. t.* qvi habet credulitatem) *non incidit in legem, ſed verberatus relegatur.* Qvam verberationis ac relegationis pœnam communem tunc omnibus adulterii adminiſtris fuiſſe teſtatur *l. ult. C. ad L. Jul. de adult.* qvæ ex Baſilicis ſimiliter deſumta ſic habet: *Adulteris verberatis & tonſis nares abſcinduntur. Nuncii vero & impii hujusce facinoris adminiſtri, verberati & tonſi in perpetuum relegantur.* (Hanc tamen legem ex Nov. *Leonis.* 32. deſumtam, perperam Codici Juſtinianeo à typographis non ſatis doctis eſſe inſertam putat *M. jer Coll. J. Arg. tit. de adult. n. 17.*) Sed qvid denotant verba in Baſilicis poſita, *non incidit in legem, ſed verberatus relegatur.* Nam ſi hic Lex Jul. de adulteriis intelligitur, & ejus pœna, ut ſuperius adſtruximus, relegatio fuit, qvomodo qvæſo dici poteſt, eum non incidere in L. Jul. & tamen pœna L. Jul. nempe relegatione eſſe afficiendum? Neſcio ſane qvid hic dici qveat, niſi qvod forte Auctores Baſilicorum, vel unde ille locus deſumtus eſt, in ea fuerint erronea ſententia, qvam cum Triboniano multos JCtos foviſſe diximus, ac ſi capitalis L. Juliæ fuerit pœna; Et hanc conjecturam juvat, qvod cum reperierint, ejusmodi maritum leno-

 nem

nem eſſe relegandum, & tamen apud Ulpianum viderint, in *l. 29. ſ. 4. ff. h. t.* illum non incidere in legem Jul. facile in eam opinionem prolabi potuerunt. Porro notatu dignum eſt, jam Conſtantinum M. in *L. 1. C. Th. de Repud.* inter cauſas divortii reſpectu mariti poſuiſſe, ſi mulier vel mœcha, vel medicamentaria vel *concilia trix h. e. lena* fuerit. Qvod ipſum tamen ad uxoris qva talis lenocinium haud ſpectare quilibet ob ſuperius allata me non monente perſpicit. Circa maritum vero novis temporibus Juſtinianus diſtinctionem fecit inter attentatum & conſummatum lenocinium. De illo in *Nov.* 117. C. 9. §. 3 ita diſpoſuit: *Si maritus uxoris caſtitati inſidiatus, aliis etiam eam adulterandam TENTAVERIT tradere, diverte ab eo uxor poteſt.* Ubi hæc non *tantum dotem* recipit, ſed & donationem propter nuptias *exigere poteſt*. (Aliter putat *Mathæi p.*386. nempe ejusmodi lenonem maritum capite plectendum eſſe, ſed infirmo argumento à talione deſumto.) In hoc pœna mortis eſt ſtatuta in *Nov. 134. C. 10. Si quando vero adulterii crimen probetur, jubemus illas pœnas peccantibus inferri, qvas Conſtantinus divæ memoriæ diſpoſuit, & illis ſimilibus ſubjiciendis pœnis οἵτινες μέσοι ἢ ὑπουργοὶ qvi medii miniſtri hujusmodi impio crimini facti ſint*. Quæ pœna non ſolum reſpicit maritos lenones, ſed & omnes eminenter tales, qvi adulterium modis ſupra recenſitis adjuvarunt, & qvidem tam faciendum, qvam jam factum; nec adeo cum *Matthæi p. 385. ſeq.* ſentimus qvi maritos retinentes deprehenſas adulteras, vel pretium pro comperto ſtupro accipientes mitius puniri vult, qvam domum præbentes vel qvæſtum ex adulterio uxorum capientes. Nullam enim diſtinctionem ſervat hæc Novella, ſed adminiſtri adulterii *i. e.* lenones, puniendi ſunt, ut adulteri, *i. e.* capite plectendi. Locus vero ubi Conſtantinus M. eam pœnam conſtituit eſt in *c. 30. §. 1. C. h. t. Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Prolixius equidem hic deducere poſſemus, male Juſtinianum vel potius Tribonianum tribuere Conſtantino, qvod

erat

erat Conſtantii & Conſtantis, verum id jam accurate fecit *Dn. Thomaſ. in Diſp. de Crim. Bigam §. 66. ſeq.* Illud ſaltem nobis breviter diſcutiendum, qvomodo mulieres lenæ puniendæ veniant? Cum enim Juſtinianus hic dicat miniſtros adulterii ut ipſos adulteros puniendos, an ex contrario concludere liceat, ergo & in miniſtras adulterii, ut adulteras eſſe animadvertendum? Qvæ qvæſtio ideo potiſſimum movenda, poſtqvam eodem capite *Nov. 134.* mitior pœna in mulieres adulteras dictitata, ut ſcil. verberata in monaſterium mitti, & poſt biennium à marito inde extrahi, vel poſtea perpetuo ibi manere debeat. Et ſane ſi favorem Juſtiniani vel potius Theodoræ, ex cujus interceſſione multa mulieribus beneficia præ maribus paſſim indulta, intueamur, nullum remanebit dubium, qvod etiam eandem pœnam in lenas, qvam in adulteras, ſtatuere voluerit, attamen ſi æqvitatem reſpiciamus, nulla hic prærogativa mulieres præ maribus gaudere deberent, cum utrorumqve idem ſit peccatum.

§. 48. Reliqvum eſt, ut & de Conſtitutionis Criminalis Carolinæ, nec non Juris Saxonici diſpoſitione circa lenocinium ejuſqve pœnam qvædam annectamus. Illius de ea duo ſunt *Articuli*, nempe *122. & 123.* qvorum prior agit de mariti & parentum uxorem liberoſqve ſuo lenocinio alienæ libidini proſtituentium, poſterior de eorum pœna, quorum ope conſiliove adulteria conciliantur. Ille hunc in modum conceptus eſt: So iemand ſein Eheweib oder Kinder um einigerley Genieß willen, wie der Namen hat, williglich zu unehrlichen, unkeuſchen und ſchändlichen Wercken gebrauchen läſt, der iſt ehrloß, und ſoll nach Vermögen gemeiner Rechte geſtrafft werden. Ubi tum circa definitionem tum circa pœnam qvædam nobis erunt obſervanda. Iſta enim paulo aliter ſe habet, qvam quæ ex Jure Civ. hactenus fuit extructa, dum præter generale omnis delicti reqviſitum, proæreſin (verb. williglich) ponit & illud, ut qvæſtus cauſa fiat, cum tamen ſupra & alias proſtitutionis adjuvationes nominaverimus,

mus, qvæ nullum qvæſtum præſupponunt. Qvod ſi vero originem ejus opinionis augurari liceat, videtur Carolus V. quoad parentum lenocinium ante oculos habuiſſe veterum JCtorum hypotheſin (de qva ℌ. 10 & 25.) quibus illud erat vulgare, adeoque quæſtuarium tantum, definiente Ulpiano in *l.* 4. §. *2. de his qui not. inf. conf. ſupr.* ℌ. 2. Idque amplius confirmat quod poſtea de infamia dicit, qvæ, ut in præcedentibus audivimus, ſolum vulgaris lenocinii pœna fuit. Verum cum hodie libera profeſſio nominis, qvam qvæſtuaria illa proſtitutio præſupponebat, ceſſet, nec patria poteſtas tanta ſit, ut cogi ad id poſſent liberi, ſicut olim factum eſſe indicat *l. 12. C. de Epiſc. aud. & l. 6. C. d. ſpect. & lenon lib. 11.* merito hodie eminens dicendum erit parentum lenocinium. Qvoad lenocinium mariti ſine dubio reſpexit ad Ulpianum in *l. 29.* ℌ. *3. & 4. ff. h. t.* ubi de ejus quadam ſpecie, ſi nimirum quæſtum ex adulterio uxoris fecerit maritus, agit. *vid.* ℌ. *17.* At nec ibi Ulpiano lenocinii maritalis formam in genere determinare, ſed tantum ejus ſpeciem quandam prioribus ſubjungere animus fuit. An igitur qvæſtuarii lenones ſaltem erunt puniendi; cæteri autem hucuſque recenſiti omnes immunes pronunciandi? hic non incommode qvidam mihi videntur diſtingvere inter pœnam ordinariam & extraordinariam, illa quæſtuarios, hac reliqvos teneri lenones, qvod etiam ſequi Jus Sax. mox videbimus. vid *Berlich. Part 5. Concl. 40. n. 16. ſq.* Sed probe inſuper ponderanda ſunt verba Caroli V. Non enim putandum eſt tam anguſtis cancellis eum includere qvæſtum, ut Ulpianus, ſi nempe qvid accepit maritus ut adulteretur uxor: ſed notanter dicit: *Cujuscumqve qvæſtus gratia, qvale ipſi nomen* ſit, um einigerley Genieß willen: wie der Nahmen hat: ut adeo recte nonnulli ſtatuant, in dubio parentes filias non ex levitate qvadam, ſed quæſtus gratia proſtituiſſe, eſſe præſumendum. conf. *Berl. d. l. n. 18,* Et ita qvæſtus erit dicendus non ſaltem præſens, &

qvi

qvi ob proſtitutionem faciendum aquiritur, ſed & ille, qvi adhuc ſperatur, licet jam admiſſum ſit adulterium. Ita qui domum ad proſtituendam uxorem præbet, qvi deprehenſam in adulterio retinet, adulterum qve dimittit, qvi de adulterio ejusdem paciſcitur, qvi non omnibus dormit, ille omnino absqve ſpe alicujus lucri illud haud facere cenſendus eſt; qvod ipſum tamen prudenti judicii determinationi per omnia relinquendum erit.

§. 49. Pœnam in hos lenones ſtatuit duplicem Imperator, ut ſint infames, & ſecundum jus commune puniantur. Infamia notatos fuiſſe olim à Prætore lenones publicos. §. 41. expoſuimus. Nullum itaque dubium eſt, quin exinde hoc qvoqve huc tranſtulerit legislator. Cum vero Dd. infamiam, qvæ à jure infligitur, diſpeſcant, qvod hæc vel immediate factum turpe notet, qualia exempla pasſim recenſentur *in tit. de his, qui not. inf.* vel mediante ſententia judicis, quales ſunt damnati publico judicio, merito ambigi poſſet, quænam hic intelligatur. Et poſteriorem quidem non poſſe intelligi exinde apparet qvod capitaliter puniendos eſſe hoſce lenones mox probaturi ſimus, adeoqve poſt latam ſententiam nulli effectui infamia illa irrogaretur; ſed priorem, ut ſenſus ſit, etiam ante latam ſententiam ipſo jure ejusmodi lenones eſſe infames. Attamen cum nemo ante ſententiam & condemnationem delicti reus dici queat, non ſane perſpicio, quomodo hic infamis vocandus, cum adhuc incertum, an leno ſit nec ne; ut adeo tantum utilitatis & hæc, qvam cæteræ ex infamia deductæ concluſiones ſit habitura, id eſt, parum aut nihil. Porro qvid per juris communis pœnam indigitetur, etiam non conſtat inter Interpretes. Quoad maritum quidem parum difficultatis ſubeſt, cum expreſse à legibus Civilibus pœna adulterii ſubjiciatur, qvam noviori jure capitalem eſſe plusqvam notisſimum eſt. *vid.* §. 42. Cum parentibus vero non adeo clara res eſt. In hos enim nullam aliam jure communi reperimus pœnam ſtatutam,

 quam

Digitized by Google

qvam ſupra §. 46 ex Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani adductam, nimirum ut omni jure in liberos amiſſo exilio puniantur. Aſt hoc neutiquam menti legislatoris criminalis convenire videtur, utpote qvi parentes non tantum maritis capitaliter puniendis jungit, ſed & cæteris lenonibus longe præfert. Dicunt itaque communiter, & eos capitaliter eſſe puniendos, hoc potisſimum moti argumento, qvod jure communi quivis leno vulgaris capite plectatur juxta *Nov.* 14. ergo multo magis illi, quippe quorum lenocinium eo gravius magisqve impium, qvo arctius natura obligati ſint, liberorum vitæ honeſtatem morumqve integritatem pro viribus procurandi.

§. 50. Articulu 123. *Ord. Crim.* ſummarie eo tendit, ut lenones, qvi imprudentes & innocentes, honeſtas tamen mulieres ac virgines doloſis ſuis perſvaſionibus ad venereos actus exercendos inducunt, item ii, qvi domus ſuos ad id præbent, & iis talia perpetrari permittunt, pro ratione delicti arbitrarie vel relegatione, vel ſiſtendo ad numellas, vel mutilatione aurium, vel fuſtigatione alliisve modis puniantur. Difinit vero hic Carolus V. nihil aliud, qvam lenocinium noſtrum eminens in antecedentibus deſcriptum; omnes igitur adjuvationis actus ibidem recenſiti huc qvoqve applicari poterunt, ut eo minus opus habeamus, ea prolixius exponere. Illud ſaltem notamus, quosdam interpretes, inter qvos etiam eſt *Claſen. ad hunc Art. p. m.* 505. pro eſſentiali hujus delicti requiſito etiam quæſtum, ſed minus recte ponere, cum non ſaltem textus *l.* 4. *§.* 2. *ff. de his qvi not. inf.* qvi de vulgari lenocinio loquitur, nihil probet, ſed & doctrinæ ſupra ex veteribus ſtCtis traditæ illud adverſetur, imo in hoc ipſo textu ne verbulo quidem quæſtus fiat mentio, qvia potius fraudulentia ſaltem, qva fœminæ ad turpes poſtitutiones trahuntur & ſeducuntur, pro forma hujus delicti adducatur. Et *Claſen. p.* 57. ſibi quodammodo ipſi contradicere videtur, dum hos qvi puellas doloſis perſvaſionibus *quæſtus gratia* cirum veniunt, opponit illis, qvi *conſilio & ope* illud promovent, vel ædes ſuas ad id *præbent*, vel ſaltem in iis talia crimina committi

Digitized by Google

mitti patiuntur, qvod tamen etiam qvæſtus gratia fieri deberet, ſi definitionem lenocinii ille ingrederetur: Nec omnino certum eſt, an in eo mentem legiſlatoris per omnia aſſecutus fuerit, dum *p. 506. & paſſim* delicti conſummationem reqvirit, ſi pœna ordinaria locum habere debeat; ſupra enim *§.* 4. ex Ulpiano *l. 9. §. 2. h. t.* didicimus: Si in domum aliqvam ſoliti fuerint convenire ad tractandum de adulterio, etſi eo loco nihil fuerit admiſſum, veruntamen videri eum domum ſuam, ut ſtuprum adulteriumve committeretur, præbuiſſe, adeoqve lenocinium commiſiſſe; nec patet, Carolum V. ea hic mutare voluiſſe, imo verba ejus de ſummo conatu commode poterunt explicari dum dicit: Durch etliche böſe Menſchen Mann und Weiber/ böſer betrieglicherweiſe/ damit ihnen ihre Jungfräuliche oder Fräuliche Ehre entnomen/ zu ſündlichen fleiſchlichen Wercken gezogen werden/ &c. Qvicqvid tamen hujus ſit, omnes præprimis circumſtantiæ, qvæ maxime variare poſſunt, judici erunt ponderandæ; cujus ideo arbitrio & pœnam hujus lenocinii determinandam permiſit Imperator, qvod non tantum ex particula disjunctiva VEL, variarumqve pœnarum recenſione, ſed & exinde apparet, qvod conſilio prudentum pro delicti qvalitate & perſonarum conditione definitionem ejus reliqverit. Hoc ipſo vero notabilem receſſum fecit à Jure Juſtinianeo, qvo non ſolum certa, verum etiam longe gravior erat pœna, dum lenones eminenter tales, ut adulteri, hoc eſt, capitaliter puniebantur, domum vero præbentes 10. librarum auri mulctam ſolvere cogebantur. ut in antecedentibus plenius intelleximus. Iſtud adhuc indagandum, num Carolus V. hic de ſola honeſtarum fœminarum proſtitutione diſponere, meretricum vero lenones ab omni animadverſione immunes eſſe voluerit? Qvod qvidem primo intuitu affirmandum videtur ob expreſſa Verba: Die ſonſt unverleumde ehrliche Perſonen ſind, &c. item: Ihre Jungfräuliche oder Fräuliche Ehr entnommen, Qvibus & motus *Claſſenius.* ut *d. l. p. 506.* cum Duareno,

reno, Menochio, ibid. citt. & *Berlich. P.5. Concl. 40. n. 74.* ſtatueret, lenonem non eſſe, nec pœna lenocinii teneri, qvi meretricem proſtituit, qvippe cum qva non committitur ſtuprum *l. 6. §. 1. h. t.* Verum cum hæc opinio partim falsa nitatur hypotheſi, ac ſi leno vulgaris, ut ab initio deſcriptum dedimus, non ſit pro tali habendus, partim qvod in hoc articulo lenocinium vulgare deſcribatur, non erubeſcimus dicere, unius poſitionem non eſſe alterius excluſionem, & lenonum eminentium utpote improbiorum hic tantum fieri mentionem, vulgaribus juris communis pœnis relictis, qvod & ita amplecti videtur Jus Saxonicum. vid. *Carpz. Part. 2. Qu. Cr. 71. n. 65. ſeqq.* ubi etiam præjudicium lenones vulgaris fuſtigati adducit.

§. 51. Videamus etiam paucis, qvid Jure Saxonico moribusqve noſtris obtineat. Ubi qvidem jam jure veteri Saxonico in maritos lenones videtur ſtatuta fuiſſe gladii pæna, ſi qvidem gloſſæ ad *Art. 13. lib. 2.* Land-Recht, *num. 10.* credimus, qvæ ad verba illius articuli: Oder Weib oder Magd nothzügen, &c. ita annotavit: Hie ſoltu auch wiſſen von denen, ſo ihre **Weiber vermiethen, und dieſelbe andern verkuppeln,** und die armen Frauen damit betriegen, ob ſie das klagen wollen, man richtet über ſie als über dieſe allhier; ſcilicet violentos ſtupratores, qvi capite plecti debere in textu jubentur. Et non poſſumus non ſimul notare, cornutos tanqvam lenonum maritorum ſynonymon in eadem gloſsa adduci: Von den **Hahnreyen,** inqvit, **das iſt, von den Kupplern oder Kuſſern, oder die andere bey ihren Weibern liegen laſſen,** &c. Qvanqvam non diffitendum, illam laxam vocis ejus ſignificationem noſtro ſeculo non omnino convenire, qvod potius cornutum accipit, ut deſcribitur in *l. 29. §. 4. ff. ad L. Jul. de adult.* vid. ſupr. *§. 18.* Illud ipſum vero modernæ Conſtitutiones Saxonicæ etiam ſeqvuntur, cum diſtinctionibus tamen, qvas ſupra de Jure Imperii adduximus. Textus potiſſimum huc ſpectantes ſunt Divi Auguſti Electoris Conſtitutio 29. *Part. 4.* Ordinatio Eccleſiaſtica

tit.

tit. Von Eheſachen. *Rubric.* Von der Straff der Unzucht und des Ehebruchs. §. würde aber ein Ehemann, &c. in *Corp. Jur. Sax. p.* 277. Mandatum Chriſtiani II. von Beſtraffung des Ehebruchs &c. §. vors dritte. *p. m. 305.* Ordinatio Matrim. *Punct.* 4. §. Die gemeinen Weiber, rc. & §. Würde aber &c. *p.* 465. *ſeq.*

§. 52 Nimirum omnes eo tendunt, diſtingvendum ante omnia eſſe inter lenocinium maritorum parentumve & cæterarum perſonarum; utrobiqve vero, num qvæſtus gratia fecerint, an minus. Illo caſu parentes qvidem maritive gladio feriendi, cæteræ perſonæ fuſtigandæ ſint; hoc autem ſi nullum qvæſtum acceperint, priores fuſtigatione cum perpetua relegatione, reliqvi carcere vel relegatione, attamen ſine fuſtigatione puniendi veniant. Nemo vero hic ſe facile eo adduci patiatur, dum qvæſtus mentio fit, ac ſi ille ad omne lenocinium tanqvam formale reqviratur, qvalem qvidem ſententiam cum aliis fovet *Carpz. Quæſt 71 n.* 1. *ſq.* lenocinium definiens, qvod ſit nefarium ſcelus qvo qvis ex publicis ſcortationibus *ſibi quæſtum facit*, mulieres *quæſtus gratia* proſtituendo, &c. Præterqvam enim qvod *d. l. n.* 4. *&* 5. & eos pro lenonibus reputet, qvorum ope & conſilio adulterium commiſſum qvive domum ad illud præbuerunt, ipſum Jus Saxonicum eos pro lenonibus habet, qvi ſine qvæſtu mulieres aliis producunt & proſtituunt, idqve teſtatur inſcriptio *d. Conſt.* 29. generaliter ita formata: De pœna lenocinii, proſtitutionis & productionis nuptarum ſolutarumqve perſonarum; ut adeo hujus definitio cum noſtra ſupra poſita optime conſpiret. Nec obſtat, qvod illud ſubinde diſcrimen inculcet, an qvæſtus gratia facta ſit, nec ne, *&* pro hujus diverſitate pœnam aggravandam vel minuendam dictet. Nam reſpondetur, (1) illud ſaltem propter pœnam fieri; at à pœna ad delicti eſſentiam argumentationem non procedere. (2.) In qvibusdam textibus Juris Sax. præmittitur definitio lenocinii, & poſtea demum ſecernitur, an qvæſtuarium ſit vel minus. Facit huc ſupra alleg. Mandatum Chriſtiani II. d. §. verb. Würden aber auſſerhalb der Eheleut und Eltern andere eine eheliche oder ledige Perſon verkuppeln, die ſollen nach Unterſcheid, ob es umbſonſt oder Nutzens halben geſchehen, willkührlich mit Gefängniß-

Straff, Landes-Verweiſung, oder Staupenſchlägen belegt werden. *conſ. Ord. Eccleſ. d. l.* §. Würden auch andere Perſonen, & *Ord. Matrim. all. l.* §. Würden auch außerhalb, &c. Sive igitur lenocinium qvæſtus gratia factum ſit, ſive non, definitio ejus neutiqvam mutabitur, cum qvidem unum gravius altero atqve improbius ſit non tamen ea propter magis & minus ipſam rem variare poterit. Sed ſi de pœna ordinaria vel extraordinaria ſermo ſit, opus illa diſtinctione de Jure Saxonico omnino habebimus. Neſcio igitur num ſubſiſtere poſsit ſententia Berlichii, qvi theſin ejus, qvod maritus uxorem non propter qvæſtum proſtituens pœna extraordinaria afficiendus, ſeqventi modo *P. 5. Concl. 40. n. 50.* limitat: Niſi maritus *doloſe* patiatur uxorem ſuam delinqvere, & meretricari, tunc propter lenocinium recte pœna ordinaria puniri debet. Non ſolum enim ad omne verum delictum reqviritur dolus, adeoque hic loci ad pœnam ordinariam nihil facit; verum etiam pœna ordinaria qvæſtum ſemper præſupponit. Eadem itaque erunt judicanda de iis qvæ habentur *n. 52. d. l.* ac ſi maritus *pluries ſine qvæſtu* uxorem proſtituens pœnam *ordinariam* incurrat. Siqvidem (1.) ex ipſius Berlichii hypotheſi (qvam tamen falſam mox arguemus) tunc demum aliqva pœna dignus erit maritus, ſi pluries peccaverit, qvoniam ad hoc, ut quis leno dicatur & puniatur, reqviritur *conſvetudo* ſaltem per duos actus & vices. *vid. num. 76. d. concl. 40.* (cui tamen iterum adverſatur *num. 34.*) præcipue ſi ſine qvæſtu fecerit. (2.) Quemadmodum nullibi reiteratio delicti ad infligendam lenonibus pœnam reqviritur, neqve prima vice deliquentes à pœna liberandos exprimitur, qvin. ex *Conſt. 29.* generaliter loqvente contrarium potius appareat. vid. *Carpz. ad d. Conſt. def. 8. & all. Qv. 71. n. 19. ſeqq.* (adeoqve falſa ſint Berlich. *n. 76. & 77.* allata, nec qvicqvam faciat ejus limitatio, ſi ſine qvæſtu factum ſit) ita econtra reiteratio directo nihil facere poterit ad augendam pœnam lenocinio præſcriptam, niſi exinde qvid lucratum ſit ubi ordinarie punietur.

§. 53. Hac occaſione qværitur: An pœna mortis affici debeat parens aut maritus, filiam aut uxorem proſtituens turpis qvæſtus cauſa, ex qvo lenocinio tamen præter ſpem nihil prorſus lucra-

lucratur? In utramqve partem hæc diſputari poteſt qvæſtio. Negantium opinio his potiſſimum nititur argumentis, (1.) Qvod Conſtitutio Elect. qvo pœna gladii locum habere qveat, expreſſe reqvirere videatur, ut maritus aliqvid ex lenocinio uxoris lucratus ſit, *verb.* So ſoll der ſo ſich ſolches Gewinns oder Nutzens gebrauchet, wegen dieſes lenocinii mit den Schwerdt geſtraffet werden ꝛc. qvæ verba ipſum lucrum & effectum, non ſolam ſpem qvæſtus denotent. *conf.* §. *16.* (2.) Qvia in pœnalibus ſemper benignior ſententia apprehendenda ſit. Qvibus regeri poſſe videtur, qvod ſicut latrocinium dicitur perfectum ac conſummatum homicidio perpetrato ſub ſpe alicujus lucri, licet maxime hoc deficiat nihilqve latro poſtea lucretur, ita & pro lenone habendum eſſe eum, qvi ſaltem ex libidine locupletandi mulierem proſtituat. vid. *Carpz. d. Qv. 71. n. 50. ſeqq. & Qv. 22. n. 47.* Et qvid ſi maritus ab adultero pecuniæ ſummam ſtipulatus ſit? Tunc eum non poſſe illam exigere ob turpem cauſam patefcit ex *l. 5. C. de Condict. ob turp. cauſ.* Qvantum igitur ad proæreſin peccandi ſpectat, idem erit mariti delictum ſive acceperit aliqvid, ſive non; in hoc caſu enim non voluntas, ſed poteſtas aliqvid exigendi deficit. Imo licet aliqvid acceperit, vix tamen exinde locupletior fiet, qvia fiſcus repetitionem ejus hoc in caſu habebit. *l. 9 ff de Jure fiſci.* Dn. *Chriſt. Thomaſ. in Not. ad Strauch. Diſſ. XXII. th. 9. p. 309. ſq.* Qvia vero ſententia negativa in Praxi, teſte Carpzovio *d. l.* eſt recepta, qvod confirmat ille Præjudicio Dnn. *Scabin. Lipſ. n. 53. l. c.* adducto, nos, ſiqvidem re per obſervantiam deciſa, ulteriori diſqviſitione merito abſtinemus.

§. 54. Atqve hæc circa quæſtum occurrebant notanda. Cætera quod attinet, non adeo differt Jus Saxonicum à Civili idem eſt ſive directo ſive per indirectum parentes vel mariti liberorum aut conjugum proſtitutionem adjuvent, ſi ſcilicet illam tantum permittant ſub ſpe alicujus lucri, nec ſolicitatio eorum præciſe reqviritur. vid. *Carpz. P. 4. Conſt. 29. d. 1. n. 6. ſqq. & Qv. 71. n. 23-31.* Niſi juſtam qvandam ignorantiã prætendere qveat maritus; nam tunc extra reatum lenocinii erit, imo eum non tantum uxori adulteræ illud remittere, Idem *Qv. 71. n. 31.* ſed & de adulterio ſe inſcio perpetrato impune tranſigere poſſe tradit Idem *d. l. n. 32. & 34. &*

ſcientes patientesque? Imo neutiqvam; ſed pro circumſtantiarum ratione arbitrarie puniendi venient, qvod loco debitæ morum formationis in peſſima filios vitia ruere paſſi fuerint, hincque merito Dnn. Scabini Lipſienſes, ejusmodi matri, qvæ meretricibus filii domum præbuerat, relegationem trium annorum dictarunt, qvorum Præjudicium refert. *Carpzov. d. l. n. 44. conf. id. d. Conſt. def. 4.*

§. 56. Pari ratione inter Dd. Saxonicos, qvo uſqve parentum vox extendenda, controvertitur, & an pœna parentibus dictata iis qvoqve imponenda ſit, qvi qvoad reverentiam iſtis æqviparantur. e. g. nutrices proſtituentes puellas ſuæ cuſtodiæ commiſſas, tutores pupillas, fratres ſuas ſorores, omnesqve, qvi parentum loco ſunt, cognatas fœminas aliis ſtuprandas ſubjicientes? Qvod *Berlich. d. concluſ. 40. n. 12-15.* ſine hæſitatione affirmandum duxit. Rectius vero negaſſe id mihi videtur *Carpzov. de Conſt. def. 5. & all. Qv. 71. n. 45. 46.* non ſolum qvod Berlichii ſententia omnibus deſtituatur rationibus, ſed & quod textus Sax. de iis ſubinde loqvantur parentibus, qvi proprie dictos habent liberos; jam autem in pœnalibus verba ſtricte capienda eſſe ſemper æqvitas ſvadet, cum præprimis non adeo freqvens ſit ille ſignificatus, qvi ſub parentum vocabulo antea memoratas perſonas complectitur; accedente inſuper reſtrictione ipſius Sereniſſimi, qvi omnes alias perſonas præter parentes & maritos ab hâc ſanctione excludit, verb: Andere Perſonen, auſſerhalb der Eheleut und Eltern, x.

§. 57. Supra qvoqve jure antiqvo inter lenocinium vulgare & eminens hanc conſtituimus differentiam, ut illud in eas mulieres exercitum fuerit, qvæ ſponte vitæ turpitudinem elegerant, & nomina ſua apud Ædiles profeſſæ erant, hoc contra invitarum plerumqve fuerit fœminarum; Anne & hodiernis moribus diverſitas inter hæc ſupererit, ut invitas mulieres proſtituentes gravius coërcendi ſint reliqvis? Affirmat id ſane Berlich. *P. 5. Concl.* 40, *n.* 19. ubi parentes filiabus ſponte ſua ſe proſtituentibus conniventes mitiori pœna plectendos eſſe putat, qvam invitas ſeducentes. Verum enim vero jam in antecedentibus diximus, differentiam illam noviori jure eſſe ſublatam, indeqve & moderno, utriq; in eadem erunt conditione. vid. *Carpzov. d. Qv. 71. n. 63.* Porro pœna & in eos Jure Sax. extendenda erit, qvi paupertate coacti lenocinio ſe ſuſtentare intenderunt, cum Ulpiani ſententia in *l. 43 §. 5. ff. d. Ritu Nupt.* ſatis rationabilis, qvod ei non ſit ignoſcendum qui obtentu paupertatis turpiſſimam vitam elegit. conf. Carpzov. *d. C. def.* 10. &

10. & Q. 71. n. 7. *ibiq; Præjud.* Diſſentiunt equidem nonnulli per *l. 1. C. de Patrib. qui filios diſtrax.* ſed eos abunde jam refutavit Berlich. *d. concl. n. 21.* quem exſcribere nolo. Potius ultimo loco notamus pœnam Jure Sax. ſpecialiter ſtatutam in hoſpitem, qui ſcienter meretrices in hoſpitium recepit; ut nimirum carcere coerceatur. Ita enim *Ord. Matrimon. Punct. 4. §.* **Die gemeinen Weiber ꝛc.** de eodem diſponit: Und der Mann beneben den Wirth, welcher ſolche Perſonen wiſſentlich beherberget hat, mit Gefängnüß-Straffe beleget werden; idem quoque habetur in all. *Mand. Chriſt. II. §.* **Zum vierdten und letztenꝛc.** Hæc vero nimis mitis alicui videri poſſet pœna, conſideranti lenonem in antecedentibus à nobis qvoqve illum appellatum, qui domum ad ſtuprum adulteriumve in ea committendum præbuerit; adeoqve in hoſpitem animadvertendum eſſe æque ac in illum, qvi cæterarum extra uxores & liberos perſonarum proſtitutionem propter quæſtum procurat, fuſtigatione nempe ac relegatione, cum ille hoſpites gratis haud recipiat. Verum ad conditionem ejusmodi hoſpitum & ſecuritatem iter facientium hic reſpexiſſe legislatores Saxonicos putamus; cum parum frequentaretur illud diverſorium, ubi hoſpes ita rigoroſe examinare velit peregrinas, num honeſtæ ſint vel impudice vivere ſoleant, an ſecus, cum tamen non extra omnem culpam ſit, ideo arbitraria carceris pœna eum afficiendum eſſe putarunt. Sed an forte ad vulgares lenones hoc trahendum (qui occaſione cauponæ publica habent ſcorta) de quibus alias Jure Sax. nihil ſtatutum reperimus, & hoc etiam ſvadere videntur antecedentia ejusdem paragraphi, vulgares mulieres nullibi tolerandas, ſed publice relegandas eſſe diſponentis. Verum his expreſſe opponuntur ejusmodi fœminæ, qvæ non publice meretricio more ſeproſtituunt, & de harum hoſpiti pœna illa annectitur; quæ ideo tanquam ſpecialis notanda eſt. De vulgaribus vero lenonibus non improbabilis mihi videtur Carpzovii *P. 4. C. 29. d. 9.* opinio, verbis generalibus Conſtitutionis: **Würden auch andere Perſonen, außerhalb der Eheleut und Eltern,** ihres Nutzens oder Geldes halben, **eine ehrliche oder ledige Weibs-Perſon** verkuppeln; quibus non diſtingvitur inter honeſtam & vulgarem mulierem, an publice an privatim ſe proſtituat, etiam comprehendi lenones vulgares, indeque ejusmodi lenæ pænam fuſtigationis cum perpetua relegatione dictatam eſſe præjudicium adducit,

vid. §. 50. in fin.

Tantum!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE